CONSOLATIO NAVIGANTIUM:

In quâ docetur, & deducitur, quomodo per maria peregrinantes à fame ac siti immò etiam morbis, qui longinquo ab itinere ipsis contingere possunt, sibi providere ac suppetiari liceat.

Omnium illorum, qui ad Patriæ salutem magnas ac diutinas navigationes obeunt, amori, auxilio, solatio, ac levamini, ex bonâ animi mente descripta, & in lucem edita.

PER

JOH. RUD. GLAUBER.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM,

cIↄ Iↄc lvii.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

L E C T O R
B E N E V O L E.

Servator noster Christus doctrinam nobis præscripsit, ut erga proximum nostrum ita nos geramus, prout volumus ab illo in nos fieri, immò ut hunc eodem amore quo nosmetipsos complectamur: quam & potissimam DEI voluntatem, cui tota Lex ac Prophetæ inhærent, summoperè nobis commendavit. Quamvis verò pauci mortalium istud perpendant, & omnes sua tantummodò quærant; unus tamen atque alter adhuc reperitur, qui ad animum revocat, &, quà potest, nullam non proximo suo inserviendi occasionem arripit. Licet etiam sint, qui alios omni favore prosequuntur, & consilio atque auxilio juvare appetunt, facultate tamen aliquid dandi destituuntur; Siquidem nemo plus erogare valet quàm quod ipsi suppetit. Nonnullos insuper, qui copiam elargiendi & communicandi habent, avaritia & invidia stimulat, ut nemini, quàm sibi ipsis benè velint; quorum genus hominum

num nunc in mundo maximam partem invenitur, & hinc Caritas erga proximum penitus evanuit. Cum igitur omnipotentia Jehovæ, ex singulari gratiâ, modicum Secreta Naturæ pervestigandi talentum (hunc procul dubio in finem, ut aliis exinde gratificarer) mihi concesserit; minime illud, absit verbo jactantia, defodere volui, sed particulatim de anno ad annum Boni publici caussâ, in scriptis complexus sum, &, qui meus est erga proximum adfectus, in lucem protraxi. Sed & mihi definitum, si tempus permiserit, pluria ejusmodi & meliora literis prodere. Posteaquam verò aliquot, in Orientalem atque Occiduam Indiam, & cætera longè dissita loca, descriptæ navigationes manibus meis obtigerunt, haut absque admiratione hinc percepi, quàm immensa in mari pericula occurrunt, non saltem ob copiam magnorum hostium ac pyratarum, sed & ventorum vehementium adversitates, quibus navigium, unà cum omnibus creaturis spiritu vitali præditis, funditùs submergitur, ut multa alia discrimina silentii velariis involvam. Atque hæc dum altieri mentis indagine contemplor, & ad obruf-

obrussam rectæ rationis revoco, nullum mihi gravius aut intolerabilius videtur, quàm fames ac sitis, seu penuria cibi & potus, quam interdum ubi navibus infausta & infesta sors accidit, perpeti oportet. Cùm enim ab hostili manu illæ superantur, jactura quidem bonorum fieri solet, hominum vero vita ut plurimum salva & integra permanet, qui rerum deperditarum damnum facili negotio per mercaturam reparare queunt, & licet morti etiam adjudicentur, dolor tamen ipsorum citò desinit. Sin autem per casus infortuitos quispiam pane & aqua destituitur, ac tantæ subjacet necessitati, ut vel alterum dilaniare ac comedendo absumere vellet; tunc infortunium est maximum, & mors libentius oppetenda foret, quàm ejusmodi miseriam & hæc extrema sustinere. Utut verò cibariorum defectus tàm frequenter non ingruat, sæpius tamen fit, aquam abesse, & hinc sitientes summum cruciatum concipere. Quibus sane, velut in urgentissimâ calamitate constitutis, misericordia & compassio Christiana exhiberi deberet; sed quis in longo atque impetuoso mari opem ferre sufficit? Cum autem regionum maritima-

rum prosperitas, ubi nullum plerumque vinum, nullæ fruges, mineralia nulla, sicut in superiori Germaniâ & aliis locis proveniunt, in navigationibus saltem consistat; operæ pretium omninò est ut hæc quantum fieri potest promoveatur. Rem igitur mecum pensitavi, & eatenus verum esse deprehendi, quod huic malo, penuriæ scilicet eduliorum ac potionis, in tempore provideri, & aliquam partem apparatus adhiberi queat. Illa nimirum ratibus importanda sunt, quæ majorem fami ac siti mitigandæ efficaciam habent, quàm panis & aqua communis, imò vel morbum nautis vernaculum, nempe scorbutum, qui & navigia sæpius præpedit, tutò depellere atque inhibere valeant. Ita prophylactici vicem, (unà cum usitato commeatu) Materia hæc in parte adsumi potest, impendente casu necessitatis; ut, si navis fortean impetu procellarum nimio agitatur, vel alias infelicibus fatis impeditur, ac diutius, quam animo propositum fuerat, in itinere detinetur, apprehendi atque usurpari possit. Optandum quidem hæc Materialia nunquam in ullis navibus desiderari: Sed quoniam, veteri verbo, superflua cautela

haud

haud nocet; melius ſemper fuerit, in propatulo aliquid habere, quo non utaris, quam illo carere quod uſui ſit neceſſarium. Quænam verò hæc, de quibus loquor, Materialia, & quomodo, ubi neceſſum eſt, adhibeantur; pro bono utilique facturus videor, ſi proximo meo officii teſtandi, & publicæ ſalutis cauſſâ, communicem, minimè dubitans, hanc Inventionem multis navigantium commodis evidenter profuturam.

Ceterùm quidnam Libello huic conſcribendo anſam dederit, gratioſus Lector ex præcedentibus (amorem videlicet erga proximum eſſe) jam intellexit. Et quod eundem non ad aliquot paucos ſeparatim emiſerim, ſed publicis typis committi curarim, hoc conſilio factum eſt, ut toti hominum generi, præſertim cunctis navigantibus, ſicut & infirmis, hæc tàm egregia & utiliſſima inventa auxilium ac ſolamen ſuppeditarent. Nec quicquam dubito, quin illa animi mei ſinceritas trans mare currentibus, dum in periculo conſtituti, grande ſolatium ac relevamen, vel præſervativum fuerit, cujus beneficio varios caſus & multa diſcrimina prorſus evadere, aut impoſterum ab iis præcavere ſi-

bi possint. Cum istis enim mediis, quæ heic adversus famem ac sitim, sive alios in navigiis grassantes morbos, producam, ita comparatum est, ut quod ipsis adscribo, plenariè ad optatos effectus deducant. Ideoque multa hominum millia fructus & commodum, quamdiu Mundus stabit, inde percipient, ut sic omnes per Oceanum vectores, tum & morbo quopiam correpti, jure merito lætitiam effundere, ac DEO Omnipotenti pares gratias agere debeant. Et si fortean uni aut alteri de successu dubium aliquod oboriatur, (qui tamen ita claris ac irrefragabilibus fundamentis ostenditur) libero cujuslibet arbitrio reservatur, utrum illud examini subjicere, ac de veritate certior fieri velit, antequam calculum & fidem suam adjungit. Quod etiam in parvâ quantitate, nec per undas duntaxat ac navigationes, sed in terris quoque & domi apud sanos & ægros homines probare licet. Nemo igitur tàm temerariis conatibus obganniat, aut vilipendat quod non intelligit, vel sensibus capere potest, sed opus probationi committat, & rationem ac qualitatem ejus probè pervideat, prius quam contemnit, vel immaturum judicium

dicium emittit, ne ſua curioſitas aut ex vano inſtinctu imaginaria ſapientia ipſum decipiat, vel ignominiâ confundat, ubi probatio melius quid oſtenderit, quam ſibi perſuadere potorat.

Quod autem nonnullis in locis ſub obſcuras voces proferam, nec omnia tàm clare poſuerim, ut intellectu ſuo quilibet aſſequi valeat; nemo admiretur, quin certas hujus rei cauſſas habeo. Nulli enim exinde præjudicium aut injuria obvenit, cum nihilominus talia ejuſmodi puncta elucidentur, quæ etiam poſt me ſarta tectaque permanebunt. Benevolus ergo Lector, quicquid heic literis mememoriæque traditum reperit, velut DEI donum amplexari ac ſuſcipere dignetur. Quod ſi gratum atque acceptum fore animadvertam, pluria, DEO dante, ſubſequentur. Sed & omnibus illis, qui opus habuerint, Medicamenta prædicta offero, fami, ſiti, & cunctis morbis marinis proficua, quorum bonam quantitatem fieri ac præparari curabo, ſicut quilibet iis uti frui, atque hinc deſiderio ſuo ſatisfacere poſſit. Quocirca ſi unius aut alterius heîc intereſt, ad illum, cui Medicinæ hujus præparationem commiſi, ſe conferre,

ferre, ac, ubi opus ſit eandem uſurpare non gravabitur. Me ac mea in hiſce non quæſierim, proximo meo ex charitate Chriſtianâ gratificari ac inſervire contentus. Et licet hæc prothymia inſipientibus, inſulſis hominibus & ingratis accepta non fuerit, DEO tamen grata habebitur, qui mutuam amoris & benevolentiæ participationem nobis demandavit, qui ſuo etiam tempore per pias & memores animas meis poſt me relictis Liberis beneficia abhinc derivari ac redundare concedet. De quo nullus ambigo, & in præſenti ſorte ac Catone meo penitus acquieſco.

CONSOLATIO NAVIGANTIUM.

NUnc igitur opus ipſum adgrediamur, & Remedia indicabimus, quorum uſus in navigiis maximè requiritur, cum nos non tantum à fame ac ſiti, ſed & ingruentibus morbis ſalvos atque incolumes præſtare poſſit. Nihil autem aliud ſunt quam Frumentum & Aqua Concentrata ſive in ſpiſſiorem ſubſtantiam redacta; illud fami, hæc ſiti reſtinguendæ. Queînam verò utrumque concentrari & in caſu neceſſitatis adhiberi debeat; exactè deſcribam ac docebo. Et primùm quidem

De Concentratione Frumenti.

HAnc quod attinet; in *parte* I. *Proſperitatis Germaniæ* accuratiùs ipſam explicui, ſic ut reiteratione haud opus fuerit: illis tamen informandis, quibus iſte Tractatus non ſuppetit, nec ejuſdem lectio contingit, brevis hæc repetitio neceſſaria videtur. Ex ſiligine, avenâ, tritico, hordeo, vel quolibet frumento, polenta conficitur prout in coctione cereviſiæ uſitatum, & quicquid optimi ſucci eſt, extrahitur, quaſi Zythus exinde parari debeat. Poſtmodum iſte liquor in latis ac depreſſis ſartaginibus, vel cupreis ahenis, ſenſim ac longiuſculè ad mellis conſiſtentiam decoquitur.

tur. Paleæ ac furfures pecori nutrimentum præbentur, ſuccus autem ipſe per maria commodum avehi, &, ſi lubet, ac miſtura lupuli & aquæ accedat, ad cereviſiam præparari poteſt. Et quia plerumque 8 tonnæ frumenti unam ſucco impletam, ſingulæ inſuper tonnæ frugibus refertæ unam & dimidiam, imò duas cereviſiæ tonnas conſtituunt, quælibet etiam tonna liquoris ad minimum 8. 10. 12. aut plures cereviſiæ tonnas, prout hanc pinguem ſeu tenuem habere volueris, generabit. Leviori itaque negotio ac ſumtu vel una tonna ſucci in navibus adſervatur, quàm 10 aut 12 dolia cereviſiæ, quæ facilè acorem ac totalem corruptionem contrahunt, è contra verò liquor ab aëre præſervatus in bonitate ſuâ perſiſtit; Atque hoc ſingulare emolumentum eſt, cùm ex ſucco proba & recens cereviſia confieri queat. Alterum verò lucrum & commodum heic occurrit, ſi ex hoc Electuario domi ſuæ ac in Patriâ, per miſturam farinæ ſiligineæ, aquarum loco efficax panis pinſatur, qui navibus majorem longè paſtum ſuppeditat quam communis, ac tantam in ſe vim continet, ut ægros etiam erigere ac refocillare poſſit. Quam ob cauſſam majores noſtri non fruſtrà farinas frumenti, cribro ſatis decuſſas, melle defæcato, lymphæ vicem, temperârunt, & ex iis panes compoſuerunt, quos placentas vitæ [Läbetuchen] appellarunt, eò quod corpori humano firmamentum validum, & ipſam quaſi vitam excitent. Hodiernis temporibus, ubi

ubi avaritiæ omnia ſerviunt, hoſce panes dulciarios ex communi ſaltem impuro, & incocto ſubfuſco melle videas, unde etiam non magni fiunt, nec multum ſucci aut ſanguinis dare poſſunt, quia craſſum illud mel ſapiunt, & macilentiam oſtendunt nimiam. Noſter autem panis majori ſuavitate, nobilitate, atque efficaciâ ſeſe approbat, cùm ſuccus frumenti elicitus alimoniam melle præſtantiorem ſuppeditet. Si quis autem proceſſum ulteriorem cum ipſo inſtituere cupiat; Liquor hic frumenti concentratus majorem adhuc utilitatem ſuggerit, ſi nempe in ſpiſſitudinem redactus, ſelectis per cribrum agitatis & ex meliori polentâ productis farinis admiſceatur, dein panis hinc formatus poſt piſturam diſcindatur, ac furno, ad duritiem & ſiccitatem uſque, iterum immittatur, poſtea ciſtis aut doliis repoſitus, & ab aëris inclementiâ præſervatus, in navi circumducatur. Tunc enim hic panis, ubi neceſſitas jubet, aquâ ſaltem lupuli calidâ perfundi poterit, atque ad excretionem fæcum ſive phlegmatis inſtigari, & ſubſtantiam cereviſiæ acquiret. Quod verò in lympham non tranſit, nec Zythi naturam adſciſcit ſi in aheno calefiat, & aliqua butyri pars injiciatur, egregiam languenti vectorum marinorum ſtomacho medelam conciliabit, tàm bonam certè aut meliorem, quàm ſi panes cereviſiâ emollitos comediſſent. Ubi inſuper potiones amaræ non ſunt ad cujuſvis guſtum ac ſalivam; nullus lupulus cum cereviſiâ coquatur,
ſed

ſed panis duntaxat aquæ dulci commiſtus ad evaporationem ſeponatur, qui ſane ſaporem haud inſuavem reddit. Quin & hic bis coctus vel ex farre toſto paratus panis per molendinum tenuiter conteri, ac tum in vaſa ſive ciſtas arctè compingi, & in navibus adſervari poſſet. Poſtea ſi opus, fervente aquâ eundem temperabis, & in aperto dolio, quod tamen fundum habeat, defæcari ſinas; ſic farina ſurſum aſcendit, unda verò liquorem dulcem attrahit, & hinc cereviſia præſtantiſſima ac ſalubris evadit, quæ ſi ab imo emittatur, tantam depromit limpiditatem, ac ſi menſes aliquot perduraſſet. Farris quippe & impuri à puro facta jam eſt ſeparatio, & ubi ſubtile amoveatur, ſpiſſum quoque ex vaſe hauriri poteſt, quod cum butyro decoctum ſingularem guſtui jucunditatem ac ſapiditatem confert, imò majorem ſalubritatem ac digeſtionem, atque efficaciam meliorem, quàm fabæ, piſa, ſeu ptiſana ventriculo conciliant. Quamobrem nullius rei jactura heic deprehenditur, quin potius ejuſmodi panis ſive farina bonam potui cereviſiam, atque approbum eſui pulmentum ſubminiſtrat. Et ſic in navigio omnibus anni temporibus validam ac ſapidiſſimam recens productam cereviſiam habendi, quin & acidum acetum inde conficiendi, facultas conceditur. Atque hæc de modo famem ac ſitim ex frugibus concentratis mitigandi breviter docuiſſe ſufficiat.

Sequitur nunc de cura omnium morborum, qui

qui inter navigandum, & aliàs, perniciem aut ipsissimam mortem inferunt.

Cum homine autem, si naturam spectes, ita comparatum est, ut nullam mensuram nec mediocritatem in cibo ac potu teneat; imò potius continuis actibus tàm diu multumque gulæ suæ ingerit, ut nihil amplius possit. Cui vitio alter alteri, ex consuetidine atque enormi abusu, specie virtutis ac sub imagine benefaciendi, necessitatem quasi & coactionem obtrudit, licet heic ab uno plus quam alio peccetur. Dum itaque genio liberaliùs indulgetur, quàm bonæ digestionis ratio admittit, tunc epar illa, quæ vix dimidiam partem concocta sunt, assumere oportet. Ex quo etiam nil nisi crassiorem & phlegmaticum sanguinem dispertire potest; ut sic progressu temporis interiora corporis viscera densis ac viscidis mucoribus atque humoribus repleantur ac obturentur. Hinc à nullo intrinsecus membro officium suum, uti par est, fieri potest; quin potius multi ac diversi morbi exoriuntur, prout cruditates hoc & illo loco congregatæ carnem artus obtegentem circumdederunt, nervos ac venas obstruxerunt, atque omnia media nutritionis ademerunt. Cùm igitur malum eò usque devenit, ac invaluit, toto corpore sentitur, illic tamen loci potissimùm, ubi pernicies & ægritudo sedem fixit. Atque hinc necessariò una pars noxam alterius luit ac compatitur, donec tandem cunctæ vires dispereant, integrum corpus languore succumbat,

nec

nec ullas ſibi ſuppetias adferre poſſit, ac, niſi humana ars & ſolertia ſuccurrit, mortem obeat. Quibus de cauſſis Medicinæ inventio prodiit, ut hiſce ex nimia crapulâ & ingluviæ naſcentibus morbis obviam iretur, perverſus hoſtis, ſive vitium corporis primigenium amoveretur, pituitoſa, & aliis pravorum humorum ſaburris obſeſſa, referta, & onerata membra expurgarentur, ac in meliorem priſtinum ſtatum recuperarent. Quod ſanè multis mediis ac modis variis fieri ſolet, prout Medicus morbum intelligit aut cognoſcit, opem quoque ſuam præſtare novit ac poteſt. Tunc autem omnis humanorum corporum invaletudo per evacuationes vel ſurſum vel deorſum & partim per ſudores, partim beneficium urinæ, nonnunquam & alio medicamine tollitur ac propulſatur, ſicut conſtitutio morbi requirit & poſtulat. Quibuſcunque verò rationibus hæcce malignitatis recrementa diſſipentur atque ejiciantur, dummodo partes intrinſecæ pravitatum immunes evadunt, & amiſſa ſanitas reſtituitur; tunc bene habet, ac Medicus officio ſuo ſatisfecit, grates & mercedem ſibi debitam promeritus. Quicunque igitur morborum indolem, ortum & natales intellectu ſuo exactè aſſequitur, proba inſuper pharmaca poſſidet, ac nanciſci poteſt; ea ſtatim ad uſum transferendi occaſiones habebit. Alius autem, cui ægritudo incognita & abſcondita nec etiam idoneis atque efficacibus medicamentis nititur, aut ea nullatenus indipiſci novit; hic turpiter

ter hallucinatur, experimentis ducitur, ac tamdiu pericula facit, donec malùm magis magisque ingravescat, & æger tandem animam exhalet. Quod sat in propatulo est, ac quotidie accidit, nec ullis indiget probationibus; ut hinc quoque multi vitam suam imperito Medico committere non ausint, & quos à superfluâ gulæ intemperie contraxerunt morbos jejuniis atque abstinentiâ depellere malint: quod per longas quidem moras, tutâ tamen viâ procedit. Alii contrà vulgaribus atque invalidis medicaminibus utuntur, & nihilominus sanitatem, licet serò, recipiunt, existimantes, beneficio Medicinæ hoc ipsis contigisse, cùm tamen diutinum tempus, quo decubuerunt, ac nihil cibi potusve gustârint, adhibuerunt, unde superflua humorum pravitas pedetentim disparuit, istud effecerit; prout apud ægros illos apparet, quibus nulla interdum medicamenta suppetunt, aut usurpantur, atura tamen ex diuturnitate temporis sese recolligit, vitiosum in corpore habitum, exterminat, ac penitus dispellit. Sed & quò plures humorum malignitates resident, eò longiorem consumtionem atque evacuationem ut natura adhibeat oportet. Quæ tamen si 4 aut 6 hebdomadum spatio heic operatur, tunc Medicus beneficio bonorum alexipharmacorum per 2 sive 3 dies illud efficere poterit. Tanta differentia est inter curationem quam Natura longo tempore peragit, & inter eam quæ per brevius intervallum ab arte expeditur. Cùm autem utraque

fiat,& neceſſariò fieri debeat,ſi ægris ſanitatem reſtituere cupimus; manuductio nobis abunde ſuppetit, ac tum naturæ tum artis inſtinctu ſatis ſuperque edocemur, queînam omnibus morbis faciliter præveniri, ac proſpero ſucceſſu remedium optatiſſimum applicari poſſit, nempe per extractionem pravorum humorum, unde radix ægritudinum pullulat. Verùm ab aliquibus objici poſſit, quod cunctorum origo morborum non tam à ſuperfluis malis humiditatibus quàm multifariis cauſis, hic adfectus ab iſtâ, alter ab alia derivetur, Illis autem reſponſi loco ſufficit, ut ſciant; omnia illa corporis pathemata, quæ in ſuperficie cutis exiſtunt, nec ab externis accidentibus, utpote vulneribus vel punctim vel cæſim inflictis, verberibus, jactu, caſu, & id genus aliis nata ſunt, unde corporis contuſio ac mors tandem ipſa ſequitur, ex cibi potuſve intemperantiâ, quæ noxiis humoribus anſam & ſomitem ſubminiſtravit, atque hinc diverſa membra occupavit & infecit, ortum deducere. Una enim pars aliis tamdiu noxam affricat, donec integrum corpus multitudine vitioſorum humorum penitus ſcateat atque imbutum fuerit. Ubi ſtomachus per nimiam gulæ incontinentiam cachexiâ laborat, ſrigidas cruditates ac periculoſam perniciem contraxit, queînam epulas rectè digeret, & quidnam boni ad epar tranſmittet? Epar autem cùm non niſi malum accepit, quid ſalubritatis procreabit, ac per totum corpus diffundet? Ita videlicet unum membrum

ab

ab alio pati, & culpam communem, ut ita dixerim, luere oportet. Dum arbor aut herba telluri legitimè temperatæ nec admodum paludofæ, feu ficcæ nimis, infiftit; tunc radix quoque bonitatem aliquam hinc extrahere, & eandem ftipiti, ftipis ramo, ramus foliis, floribus ac fructibus impertire, quin & multos annos fapidiffimum ac valetudini conducibilem fructum producere poterit. Sin autem illa falo perperam difpofito collocata fit; caudex etiam quicquid ibi reperit fibi adfociat, idem quoque & non melius ramis attribuit. Quod fi ftirps etiam paluftre magis quàm par eft, fundamentum habeat; arbor partum ex fe infalubrem proferet, qui ob nimiam quoque aquofitatem citius, quam maturefcat, decidet, ac ejus vicem fungi & alia ejufmodi à putrefactionibus excrementa atque abortus protuberabunt, planta etiam ipfa diu non perennabit. Si denique arbor fundo nimis arido & ficco inhæreat; radix tantum fucci hinc non petet, ut ab eo ftipes unà cum ramis ac frondibus, nedum fructibus, fufficiens nutrimentum indipifcatur, fed fenfim à fummo faftigio ad imos ufque fcapos ipfum arefcere oporteat. Pari ratione cum hominibus eorumque morbis comparatum, qui prout tractantur ita frugem ac fegetem edunt. Cùm igitur probarim hactenus, quorumvis morborum feminia ex redundanti vel humiditate, vel ficcitate fuboriri; facili negotio adverfus hofce remedia prophylactica adaptari, & fi fortean

error aut mora heic committatur, therapeutica ejus dispendium resarcire ac noxiam abolere queunt. Hæc tamen ejus indolis ac proprietatis esse requiritur, ut superfluos & perniciosos humores ex cunctis universi corporis visceribus & membris internis principalibus in ventriculum attrahant, novam concoctionem sive digestionem concilient, purum ab impuro secernant, & illud hepati adjungant, hoc per alvum ejiciant. Atque ita corpus non saltem ab onerosis pravis humoribus liberatur, Sed etiam unà vires suas recuperat, & ab omnibus infirmitatibus præservatur & curatur. Quod tamen medicandi genus hodierno, proh dolor! tempore paucis cognitum; siquidem herbæ vulgares hoc minime perficiunt, sed aliquid melius adesse oportet, quàm Philosophia colûs & anicularum præscribit. Aliàs in simplicibus quibusdam magna latet efficacia, prout in Helleboro seu Helleborastro perspicuum, cujus beneficio veteres vitam suam prolongârunt, quotidiè certam dosin ejus usurpantes. Prætereà Tabacum, ubi ad maturitatem pervenit, admiranda efficit, rite præparatum atque adhibitum, prout nuda tantum & crudior Nicotiana, quæ fistulis ori attrahitur, ac instar fumi hauritur, documento est, cujus etiam usus non saltem toti corpori refrigerium, vigorem, ac firmamentum, sed & aliquam partem fami ac siti relevandæ juvamen concedit: id quod communis experientia quotidiè testatur. Quibus verò de causis ista vis ac vir-

ac virtus contingat, Pæto-fugæ nesciunt nec adeò curant, sed in eo acquiescunt, si voluptatem aut utilitatem inde percipiant. Præstat igitur tot ac tanta Tabacum aut alia planta vulgaris, licet adhuc rudis & nondum præparationi obnoxia; quid non Extractum legitimè compositum, seu Essentia Concentrata omnium Vegetabilium faceret? Quæ tamen hunc debet habere genium, ut non omnem duntaxat malignarum humiditatum congeriem è corpore dispellat, sed & interiores hujus partes bene firmet, & à cunctis quæ morbo generando accidere possunt, præservet ac tueatur.

Talis ejusmodi Medicina est illa, quam omnibus iis, qui per maria diutius oberrant, ac, præter Scorbutum, multas ægritudines alias sustinent, oblatum venio, quâ non modò ab earum incursu efficaciter sese protegant, & ubi hæ jam locum occuparunt, ipsarum progressum inhibeant, immò etiam præsente cibi ac potionum penuriâ, infirmum corpus solidare valeant. Queinam vero & quibus ex speciebus, seu, ut vocant, Ingredientibus hoc Euporistum conficiatur ac paretur, cuivis manifestare non est necessum. Magnum hoc DEI donum, quod meritò honorari, nec coram indignis prostitui debet.

Satis sit hac vice, quod tantum Medicamen parvo ære impetrari queat; ego illud mecum in sepulchro recondi non permittam, sed relinquam aliis, quod etiam custodient, & honorificè asservabunt,

vabunt, ac tolerabili pretio valetudinis ſuæ cupidis erogabunt.

Hoc in formâ Electuarii dabitur, de quo præſervativè ſingulis diebus, vel ſecundo, tertio, aut quarto die, prout neceſſitas exigit, ad quantitatem dimidii, vel etiam unius piſi, ſtomachus vacuus adhibeat, ſuccedente bihorii jejunio, ſi occaſio datur, ſin minus, nihil refert, paſtum ſtatim ſubſequi, licet horarum aliquot abſtinentia magis expediat. Ubi verò morbus hominem jam invaſit, ſive ſit febris, ſcorbutus, Cephalalgia, Catharri, & quicquid aliàs in navibus noxium pervagatur, confeſtim Patiens in magnitudine unius piſi alexeterium illud linguæ admoveat ac deglutiat (nullus quippe guſtus inſuavis aderit,) &, quà poteſt, ſudorem emittat; ſi non, mediæ ad minimum diei ſpatio moderatam diætam teneat, ac tempore æſtatis intenſum calorem, hyeme autem frigorum violentiam evitet. Secundo die iterum ad unius ſive duplicis piſi pondus ſibi applicet, & ita doſin, prout ſtatus morbi jubet, vel augeat, vel diminuat. His decenter obſervatis omnes ægritudines ceſſare ac Hygieæ locum dare oportet. Si quis Medicinæ hujus ſemunciam ſaltem ſecum adſervet, in diutino navigio (ſi vel ultra annum duret.) Panaceam corpori à morbis omnibus tam præſervando quàm curando fæliciſſimam poſſidebit. Tantæ potentiæ hæc eſt, & adprimè proficua vectoribus marinis, quibus & ego eandem hoc nomine maximopere commendo,

mendo, nec iis ſolum, ſed & omnibus ubique terrarum habitatoribus, queîs non minorem ſucceſſum promittit atque exhibet. Si Medicina (præter illam Univerſalem) cunctis morbis accommoda invenitur, hæc profectò eſt, & omne illud præſtat, vel etiam majus, quod in 2 *parte pharmacop.* meæ *ſpagyricæ* Catholico meo adſcripſi. Sed illud pulvis eſt, hoc autem, de quo nunc diſſerimus, Electuarium ex quibuſdam bonis Ingredientibus & ſaccharo præparatum. Reitero dictionem meam, ac palam pronuncio, nullam corporis affectionem tùm ab extra, tum intra reperiri, cujus medelæ hoc pharmacum ſingulari cum admiratione haud ſufficiat. Non enim Febri tantum ſcorbuto, & Morbo Gallico reſiſtit, ſed ipſi Lepræ ac Podagræ, modò hæc, non fixas nimis radices egerit, immò quamvis etiam profundè inveterata ſit, & hanc per Medicinam plenariè fugari nequeat, relevationem tamen ut minimum ſortitur, ac tolerabilior evadit, acceſſiones quoque impedit, ne malum invaleſcat. Totam certè naturam ruinoſam ac labefactatam eſſe oporteret, ſi Medicamentum hoc non juvaret. Quod heîc ſcripſi res eſt, & ipſius experientiæ magiſterio comprobare poſſum. Cuivis libertas ſuppetit, verbis meis ac medicamentis fidem adjungere, vel derogare. Amor Chriſtianus, ut Proximo inſerviam, me impellit: ſi in bonæ mentis argumentum rapitur, bene eſt; ſi minus, quod mearum erat partium feci, & onus conſcientiæ levavi.

vi. Nec hujus Panaceæ laudibus insistam ulterius, sat eam deprædicavi apud illos, qui credunt, aut intellectu capere queunt. Facilè autem conjecturâ assequi possum, fore mox aliquos ex invidis Momis aut Zoïlis, qui linguæ suæ venenum evoment, ac deblaterabunt nullum ita nobile Catholicon in naturâ rerum reperiri. Tam malevoli sycophantæ quia nihil sciunt, neminem alicujus boni possessorem esse velint, & se solos in bicipiti Parnasso sapere, aut Jovi matulam porrigere Cùm verba prodigunt, aut potius aliis obstrepunt, quis vetet? Etiam anseres hoc possunt, sed nesciunt, quid ganniant. Rem ex veritate dijudicari ac ex opere magistrum non aliunde laudari oportet. Quod effatum nobis nunc sufficiat.

Atque ita Medicamen illud, quo morborum omnium in mari ac navigiis grassantium curatio & præservatio institui, fame etiam urgente corpus firmari potest, toti Mundo ante oculos proponitur. Faciant igitur homines illius sese participes sive non; ego peregi quod erat mei muneris. Quoniam verò contra hosce jam dictos adfectus auxilia in promptu sunt; aliud adhuc restat Remedium, cujus ope, si unda deficit, sitis restingui, ac infirmum corpus refici & relevari queat. Atque hoc fit per Aquam Concentratam, quæ tantæ virtutis est sitibundo palatui refrigerium dare, ut similem in toto terrarum orbe non habeat. Cum igitur sæpius longinquis navigationibus lympha desit, vel putredinem aut fœtorem

con-

contrahat; operæ pretium eſt heic declarare atque oſtendere, queinam, ſi jactura ejus præſtò eſt, tempore neceſſitatis, ſiti tolerandæ conſuli poſſit. Tum & quomodo aqua communis nunquam ſordeſcat ſeu corrumpatur, unica inſuper tonna ad fugandam ſitim tantum efficiat, quantum alias 2 vel 3 tonnæ aquarum communium. Quæ ſanè vox non tam mea eſt quam ipſius exploratæ veritatis, & heic manifeſtis teſtimoniis abs me comprobabitur. Fit autem illud, ut dixi, per Aquam duntaxatConcentratam ſiveCoagulatam.Hæc verò quænam ſit,primùm indicabo,dein quibus modis præparari atque uſurpari debeat: Cui propoſito DEUS benedictionem ſuam largiatur.Amen.

Genuinam lymphæ concentratæ proprietatem explicare non videatur multis eſſe neceſſarium, quia per mare peregrinantes ejuſmodi diſcurſuum expertes ſunt, nec anxiam curam gerunt, ideoque talia potius ad Philoſophos & naturæ contemplatores pertinere, ut eorum cognitionem ſibi familiarem reddant. Verùm Libellus hic non modò per Oceanum commigrantibus, ſed & ſapientibus ac multâ rerum experientiâ præditis, ſint dubio in manus an oculos, occurret, ideoque oleum & operam fortaſſis non perdiderim, ſi Aquæ illius indolem exactius deſcribam.

Omnibus illis, qui vel à primo limine Naturæ adyta ſalutarunt, ſat perſpicuum eſt, quod in primâ creatione Mundi Omnipotens DEUS ex informi Chao Elementa diſcreverit, & unum ab

alio ſeparârit, Terram in fundo ſive fundamento Centri, collocârit, & huic Aquam, Aquæ Aërem, Aëri Ignem ſuperpoſuerit, ita ut quodlibet certum ſuum receptaculum ac ſedem teneat, unde, citra DEI voluntatem, non abſcedit. Deprehendimus tamen, alterum alterius ſemper eſſe particeps, ac nullum abſque alio reperiri, quamvis unum prædominetur, ac viſibile ſit, cetera verò in viſibili abſcondita exiſtant, ſed per artificis peritiam viſibiliter ex eo deduci poſſint. Sic ex terrâ Aërem, Aquam, & Ignem; ex viſibili Aquâ naturalem Terram, Aërem, & Ignem, ex Aëre itidem Terram, Aquam, & Ignem; & ex Igne Aërem, Aquam, ac Terram elicimus. Hinc Elementa continuò ab unâ ſpecie in aliam circulantur, quod quidem non obſervamus aut ſentimus, ac nullum Elementum Elemento carere valet, ſed nutrimentum ac vitam ſuam ab alio trahit atque indipiſcitur. Ignis urere non poteſt abſque Aëre, Ignis operatur in Aquam, & ex hac Aërem conficit; Aqua requieſcit in Terrâ, & eandem humectat, Ignis imprægnat Aërem; Aër ſemen Terræ inſinuat; Terra fovet atque alit ſeminium uſque ad perfectionem, & edit in lucem poſtea quod concepit, ac ventre ſuo portavit. Hæc obiter nec ſine cauſſis, memoraſſe oportuit. Sed ut ad Aquam concentratam revertamur, & naturam ejus exponamus; ſciendum fuerit, Aquam eſſe principium aliorum omnium Elementorum. Quod liquido patet, ac quotidiè adhuc videtur & ſentitur,

titur, præſertim in fodinis metallorum ſubterraneis, quarum intima velut viſcera penetrantur. Heic aquam non adeſſe modò, ſed & in varias corporum mineralium formas citò tranſmutari cernimus: id quod extra omnem dubitationis aleam verſatur. Immò prout aqua limpidior, & majorem in ſe claritatem complectitur, eò lucidiores lapides, ac puriora Mineralia generat: de quibus pluria in *Tractatu* meo, ubi *Generatio Mineralium* deſcribitur, legi poſſunt, quæ jam hujus non ſunt inſtituti. Quod etiam ſilices adhuc & arenæ in terris, fluviis, ac maribus, ex aquâ augmentum & incrementum capiant, ſatis conſtat. Nam omne ſabulum primitus aqua duntaxat fuit, & in duriorem arenam ſive lapidem ſub aqua evaſit, in quam rurſus etiam commutari poteſt. Talis verò heic non uſurpatur ſiti amovendæ, quia nimis jam induruit, ac difficulter primam, videlicet aquæ, materiam recipere poterit, niſi fortean beneficio alterius ſubjecti, quod inter arenam, ſilices & Cryſtallos ac aquam commune Medium exiſtat, ſal videlicet, quod utriuſque, tàm aquæ quam lapidis vocabulo gaudet, in utrumque etiam facilè commutari poteſt; prout in ſequentibus audietur. Hæc autem Aqua Concentrata, quam ſiti depellendæ, ac reficiendo corpori heic proponam, non eſt ſilex, cryſtallum, aut alius lapis durior, quæ à multis potu deſiderato carentibus in os adſumuntur, ſed quoniam ejuſmodi undarum genus nimis coagulatum eſt,
nec

nec efficaciam ullam tribuere poteſt, fruſtrà uſurpantur. Iſtud autem quod heic innuo, ſal eſt quod ſive ab aquis montanis, ſive marinis præparetur & concentretur, perinde fuerit, ac eandem habet bonitatem. Ex ipſo poſtea per artem tàm præſtans Aqua conficitur, quæ pro omnibus in Mundo remediis ſitim compeſcere, ac languidum corpus refocillare valet. Jam objiciat aliquis rerum ignarus, queinam ſal reſtinguendæ ſiti facit, cum tamen comeſtum eandem concitet atque adaugeat? Heic reſpondeo: quod ſal commune, prout à ſalinis extractum coquitur, bibendi appetitionem nullatenus inhibere queat, ſed potius inſtiget, niſi prius à pravitate ſuâ corrigatur, ac depuretur. Omne etenim ſal naturam & proprietatem ſuam exuiſſe videtur, quod nihil adhuc terrenæ fecis in ſe continet, quæ tamen ipſi per ſolutionem, filtrationem & coagulationem adimitur; unde etiam amarum, adſtringens, ac durum exiſtit. Hac autem acerbitate & terreſtreitate ſemotâ, ſal duriuſculum non remanet amplius, aſt in mollem ac fluidam lympham redigitur, non verò dulcem, ſed ſuaviter acidam, & ratione guſtus pomô vinaceô ſimilem. Atque hæc purificatio ut per ignis poteſtatem fiat neceſſum eſt, dum nempe ſal fortibus flammis per vaſa terrea diſtillando ſublimatur. Et tunc pars nobiliſſima ac puriſſima ſaltem adſcendit, terreſtris autem & craſſior in fundo remanet, ac nullum plane uſum ſuppeditat; cùm illa defæcatior magnarum ſit virium ac virtutum

tutum non modò contra ſitim, ſed etiam ad multas res alias valde neceſſarias, uti poſtea demonſtrabitur. Quod aliàs in impuro ſale vulgari haud vulgaris efficacia lateat, nemo diffitetur; quippe hoc ſingulis diebus cognoſci poteſt atque obſervari. Quocirca Philoſophus æterni nominis Plato ſcripſit, quod in ſale aliquid divinum reſideat, &, ex mente aliorum ſapientiæ Antiſtitum, DEUS in Igne ac ſale clariſſimam Numinis ſui faciem revelavit. Sed & veteres ſophi admiranda prorſus cum hoc effecerunt, Medicinam Univerſalem etiam hinc præparare docti: & artem illam iſtud patrandi Halchimiam ſive fuſionem ſalis denominarunt. Quod tamen judicii mei non facio, cùm hæc tàm ardua ſecreta laborare nunquam auſus fuerim, minori Catone contentus. Hoc autem me non fugit, nec ſemel ſed aliquoties feci, quòd nempe per certum modum aliquem aurum corporale præcipitârim, licet ſine lucro, & ut poſſibilitatem duntaxat experirer, in ſale vero communi aurum corporale ſubſidet, quod ſine dictis præcipitationibus ſpirituale manet, ac demum per haſce ſubſtantiam corporalem adſciſcit; id quod nulli non, qui humanam tantummodò ſpeciem præ ſe fert, ſummopere mirum videri debeat. In Igne ac ſale maximum profectò totius Mundi myſterium conſiſtit, ac hiſce duobus poſt DEUM nihil comparari poteſt. Flamma enim è tenebris lucem excitat, quod alias nemo quàm DEUS fecerit, apta quoque eſt, mortuis vitam reddere,

non aliter ſicut calidus ſol aut furnus, vi frigorum enectis vermibus, ranis, ſerpentibus, muſcis, atque aliis inſectis illam reſtituit, cum vel ſub dio vel in hypocauſto ante focum exponuntur. De quo in *Pharm.* meæ *Spagyricæ parte* 2. uti & in *Miraculo Mundi* atque hujus *Explicatione* fuſius memoravi, ſicut operæ jam non ſit, ea multis heic repetere. Mille ac amplius mille homines. Igne utuntur & tamen ipſos latet quid habeant aut uſurpent. Sic & cum ſale accidit: Omnes hoc ex merâ conſuetudine adhibent, ſed interim non obſervant, quid deguſtent. Rem magni momenti ſalem eſſe dicunt, cujus jactura difficulter ferri queat, ab eo robur dari, ac putredinem tàm vivis quam mortuis arceri. Et ita omnino eſt: ſi homines nullo ſale, vel ad minimum illis plantis ac fructibus, quibus iſtud inhæret, non fruerentur; vivi putredinem acquirerent. Quæ itidem pecori accideret, niſi eſca eſſet à gramine, quod ſal etiam ſuum in ſe continet, ac illi quidem paſcendo ſufficit, ſi tamen melius aliquid unà præbetur, valdè prodeſt & conducit. Si enim beſtiis cornutis, uti etiam ſuibus, ſalſedo aliqua in cibo & potu nonnunquam exhibeatur, vigorem ac pinguedinem multam adipiſcuntur. Cum igitur ſal craſſum & rude cui plurimæ adhuc fæces atque impuritates ſubſunt, hæc præſtet, cùm creaturas in vivis conſtitutas, immò carnes animantium ac piſcium mactatorum exſangues, omnes quoque herbas, omne gramen à putredine præſervet, ac diu conſervet;

vet; quid non sal ejusmodi faciat, quod artis subsidio, majorem puritatem ac subtilitatem, quam à naturâ habet, accepit? ita nimirum Ignis potestatem, sal corrigendi, purificandi, convertendi & in meliorem ac teneriorem substantiam transmutandi continet. Communia enim salia, quibus quotidiè utimur, cunctis quidem eduliis saporem conciliant, & à putrefactione tutantur; nihilominus tamen & siccitatem incitant, adstringunt, naturale alvi beneficium præpediunt, & ad sitim instigant. Sal verò rectificatum ac depuratum grato etiam ac suavi gustu epulas afficit, putredinem quoque inhibet, sed majori, quàm aliud, virtute, nec alvum adstrictam facit, at in solutione retinet, urinam pellit, nec siti causam subministrat, quin potius tùm apud sanos tùm ægros removet. Tam ingens discrimen apud commune, ac depuratum & correctum sal intercedit; de quo rustici parùm intelligunt. Natura & proprietas salis vulgaris cuilibet sat est cognita, quatenus nempe, culinam concernit; rectificatum verò pauci norunt. Et spiritus quidem salis apud pharmacopæos in usu habetur, quem venalitiarii quoque vendunt; quoniam verò plerumque non est ritè præparatus, parvum effectum ostentat, ideoque haud frequenter usurpatur. Si autem, uti par est, conficeretur & rectificationi (quod tamen eheu rarò fieri amat) subjiceretur; non saltem gustum in usu suaviorem, sed & meliorem operationem exhiberet. Adeo multa suis

gau-

gaudent nominibus, quæ tamen rei non conveniunt, & idcirco præstare non possunt, quod ab ipsis desideratur. Veteres spiritui salis eximiam in Medicinâ bonitatem adscripserunt, prout etiam ipsa rei veritas attestatur, si nimirum ille post distillationem adhuc semel rectificetur ac dephlegmetur. Sin autem ita crudum, sicut primâ vice adscendit, adhibeamus, plus fortean noxæ quàm salubritatis ab eo percipiemus; siquidem multum terrestreitatis simul attollitur, quæ per rectificationem, velut insipidum amarum seu adstringens sal, in fundo vasis subsistit. Atque hoc licet nonnulli probè animadvertant; labori tamen parcunt reiterandæ distillationis, immò etiam ab hoc abhorrent, quod spiritus in rectificatione magnam sui ponderis partem amittat, cùm videlicet inutiles feces hinc separantur. Multis abhinc annis, quomodo spiritus salis in copiâ parandus, edocui; cujus etiam descriptio *parte* 1 *&* 2 *Furnorum* exactè proponitur: pauci tamen hactenus exstiterunt, qui laborem illum susceperint, cum tamen plurimum boni non saltem in re medica, sed & culinariâ hinc redundet; prout in *parte* 1 *Furnorum* legitur. Utilitatem quoque suam in Metallicis demonstrat, id quod 1 *parte Operis* mei *Mineralis*, ubi facultas aurum è lapidibus cum eo extrahendi docetur, fusius apparebit. Licet iste spiritus ad eundum laborem alio modo præparetur, quam ut in navigiis, uti & per terram in morbis, ac siti pellendæ, necessarius fuerit. Quamobrem pro bono

bono facturus mihi videor, si primò modum conficiendi, dein quoque usum literis designem.

Modum igitur quod attinet, sal per Ignem atque artem anatomizandi, ac in purum & suavem spiritum transmutandi; variorum est generum. Hic enim istum, alter alium usurpat, prout & ipse diversos descripsi, ac in 1 *&* 2 *parte Furnorum* meorum edocui. Heîc autem rursus novum apponam, qui huic, de quo Libellus iste tractabit usui commodissimus atque optimus, & hâc ratione perficitur. Construe tibi ex terrâ bonâ (vitrum melius) validas Retortas, exsicca & sequenti Salis ac terræ mixturâ ipsas impleto, dein, ut artis est, spiritum suaviter acidum hinc distilla, reiterando tamen ut rite rectificetur; & sic ad usionem erit paratus. Sal ita conficiatur, & ad distillationem coaptetur: Reple communi coquinario vel marino sale ollam terream, operculo itidem terrestri obtege, ac sensim flammas ex carbonibus circumpone, & paulatim adaugendo propius admove, donec sal omni ex parte candescat: hoc facto ignem statim à vase vel vas ab igne removeas, & refrigerari sinas. Ubi fortean sordida pinguedo, seu alia combustibilis impuritas sali adhæsit, ea excandefaciendo absumta est, & evanuit. Salem solve in aquâ communi, filtra vel cola per purum compactumque linteum ut fæces seorsim remaneant, quicquid autem transfusione effluxit in ollâ terrestri vitreatâ evaporari permittas, tàm diu multumque, donec cuticula enascatur; & ita

ſat aquæ exhalavit, ac ulterius ſequenti proceſſu res peragitur.

Ex luto arenis vacuo globulos efforma, tantæ circiter magnitudinis ſicut juglandes, aut ova parva columbarum, fac illos deſiccari, ac in vaſe aliquo candefieri, & tunc pinguis ſpiritus Terræ comburetur. Dein forti aquâ ſalis eoſdem imbibe, ut aliquot horas ibi permaneant, & tantum ſalis in ſe, quantum poſſunt, attrahent, poſtea eximes ac ſiccabis. Cum hoc Retortæ complentur, & per gradus certos Ignis ſubjicitur, ac tandem fortiſſimis flammis tamdiu agitatur, donec nihil fumi amplius emineat; & tunc ſpiritus omnis, quà poterat, ſublimatus fuit. Recipiens ſit vitreus, capax etiam, cui aliquantulum aquæ infundito, ſpiritûs cauſa, ut illam attrahere queat. Et quando hic finitâ diſtillatione exceptus, per ſe in breviori luto obductâ cucurbitâ per alembicum ex arenâ rectificetur; tunc primum aqua affuſa ſive phlegma (quod in aliâ diſtillatione iterum ſpiritui offundere poteris) dein purus ac dulcis ſpiritus in perſpicuâ limpiditate tranſibit, in fundo autem ſal inſuave remanebit, quod abjiciatur; cum è contra ſpiritus ad uſum, ſicut mox oſtendetur, conſervari debeat. Si verò ſpiritum adhuc puriorem atque efficaciorem deſideramus, reiterando ſuper calcinatis ſeu in pulveres redactis ſilicibus rectificari poterit, tunc iſti rurſus craſſitudinem in imo vaſis detinent, ac ille nitidior evadit, (ſilex enim prius aqua & ſal fuit) atque hinc ambo

bo tam arctam inter se communionem continent. Hoc quippe apud vitriarios cernitur, quod sabulum aut silex in fluxum seu claritatem redigitur, si præstans vitrum exinde fieri debeat. Nam sal in igne solvit arenas, silices, Crystallos, ac unà vitri essentiam recipit, immò & hæ ipsæ species ac materiæ beneficio salis Alcali in vitrum diaphanum resolvuntur, quod itidem aquæ communi impositum, salis instar diffluit, de quo in 3 *parte Furnorum* meorum ubertim disserui. Cum prædictum super silicibus pulverisatis rectificatum spiritum salis denuò distillamus; ex amore innato, quem erga silices gerit, partem aliquam sursum abducit secum, & in usu omnium morborum longè fit præstantior, in hydrope præsertim, calculo, ac podagrâ Medicamen excellentissimum. Silices fundo relicti aquam pariter exhibent, formosissimas Crystallos dissolvunt, & aciditatem sicut spiritus salis præ se ferunt, nihil quoque aliud sunt quam hujus pars apud ipsos coagulata, & in omnibus, prout spiritus hic sublimatus, administrari possunt. Neminem mirari subeat, quod huic cum teneris silicibus rectificato plus, quam alieno spiritui salis communi, adscribam. Pauci sciunt, quænam vires in silice seu sabulo lateant. Anseres hoc norunt; quod tamen cognitio hominum non admittat, licet ipsis inculcetur & digito quasi monstretur. Si Anseres ignorent, pabulum suum ab arenis in ventriculo melius concoqui posse ac digeri; humo non tollerent. Si quoque aniculas,

anserum nutrices & curatrices, fugeret, sabulum alitibus suis conducere; nunquam hoc in aquâ ipsis apponerent. Omnes aves & multa ex quadrupedibus animalia eo ipso utuntur fruuntur. Bona hominum pars silices & Crystallos pulverisatas adhibet, stomacho imbecilli saltem roborando: galli & gallinæ arenulas ac minutiores silices devorant, ut scilicet putamina ovis suis inde constituant; dum alias ova sine testis pariant, nisi arenæ compotes fieri queant. Quamobrem clarè pronuncio, hunc super silicibus abstractum salis spiritum in multis morbis meliorem sæpius esse spiritu communi, & præsertim Crystallos seu spiritum salis coagulatum, de quo supra mentionem injecimus. Atque hæc de paratu spiritus salini dixisse sufficiat. Nunc etiam docebimus, quomodo in navigiis, vel per terras in compressione sitis, & cura morborum adhiberi debeat. Cui bono alias spiritus salis ulterius quam ad Medicinam usurpandus, jam abs me recensitum fuit, & heic mea saltem intentio fert, significare, quomodo is navigationibus magnum emolumentum & commodum importare possit. Quod etiam scriptioni hujus Tractatus causam atque occasionem præbuit.

De usu Spiritus Salis, in navibus, contra Sitim & Scorbutum.

PRimò hic spiritus utiliter corpori applicatur, quando parva ejusdem quantitas aquæ doliis, unde nautæ ac milites bibunt, immittitur, ut ita huic grata, velut vini, aciditas, siti citius restinguendæ, concilietur, & correctionem addat, ne nimis bibita scorbutum generare possit, ne ipsa spiritus beneficio custodita, diutinis itineribus, sordescat, ne denique nigredinem, situm, putredinem, ac vermes, prout alias fieri solet, adsciscat. Aqua enim spiritum salis continens corrumpi nequit, quæ & aliis rebus tam vivis quam mortuis putrefactionem non permittit. Et quoniam Aqua cum spiritus salis acida sitim extinguit, magis quam alia; ex re omnino est, ne tantum aquarum ex loco domicilii ad itinera sumatur, sicut aliàs usitatum: & ubi fortean copia tam ingens avehi debeat, credendum sane foret, eò minorem aut plane nullam in viâ jacturam undarum esse metuendam. Cum porrò spiritus salis cunctæ putredini resistat; nullum scorbutum radices agere concedit, vigore insigni hominem reficit atque exhilarat, robur ventriculo & omnibus corporum membris largitur, phlegma & pituitam in renibus ac vesicâ consumit & relegat, urinam & calculum propellit, alvum solutam servat, concoctionem, an digestionem, promovet, nullam ægritudinem

invaleſcere ſinit à corruptione ſanguinis exortam, cui aliàs per mare ambulantes ſubjiciuntur. Præterea vires ſuas ſalubriter exſerit, ſi parum vino & cereviſiæ in navibus præſenti admiſceatur, quem itidem potum facit, ut eò diutius in bonitate ac ſynceritate ſuâ perſiſtat, ſitim melius compeſcat, atque ita longius ſeſe extendat. Quin & carnes bubulæ, ovinæ, ac vitulinæ per multum tempus illo adſervari poſſunt; ſi nempe ollis lapideis impoſitæ cum aliquo ſale quod in ſpiritu ſalis diſſolutum, condiantur. Has tamen ſine multis oſſibus & à cruribus abſciſſas eſſe oportet. Exigua inſuper ſpiritus copia, ſi aquæ piſſibus coquendis adornatæ jungatur, duriuſculos, hoſce ac multum ſapidos efficit, immò ſapidiores, quàm cùm aceto perſperguntur. Sic & uvæ paſſæ in aquâ per ſpiritum ſalis imbutâ, emolliri poſſunt, & hinc turgeſcant, & vigorem tùm etiam ſuavitatem recuperabunt, ac ſi recens vitibus decerptæ fuiſſent, maria quoque frequentantibus optatiſſimum levamen ſuppeditabunt.

Ut ſummatim quod res eſt eloquar, hicce ſpiritus non modò apud aquam, vinum aut cereviſiam, ſed omnes epulas in navibus commodùm uſurpari poteſt; cibo ac potui jucundiſſimum guſtum parit, & correctionem applicat, ut ſalubriores, quam ſine ipſo, evadant. Verùm & abſque eduliis ac potionibus uſum habet valde proficuum, ſi nempe, calidâ cæli atque aëris temperie, vel unica gutta, ſeu coagulati tantula pars, quantillum cannabis

nabis granum conſtituit, ſaccharo commiſta, linguæ admoveatur. Tunc enim ori refrigerando, & ſiti levandæ, remedium accedet, ne opus ſit malam aquam & cereviſiam, queîs corpus magis violatur quam corroboratur, tam ſæpè multumque ingerere. Nec minima hæc ipſius virtus eſt, ſi fortean aquæ, ex diutinis itineribus, penuria & defectus ſupervenit, quod tunc aliquanto plus de ſpiritu ſalis in eam effundi queat, gratæ aciditati comparandæ. Sic enim longiori tempore ac parcâ menſurâ, ſitim melius, quàm alias majori, reſtinguere poſſet. Immò etiam licet navis funditus periret, ac refugium ad cymbas ſeu rates, uti ſæpiùs accidit quærendum foret, ſi ſaltem in parvulo vitro ſemuncia, ſpiritûs ſalis, aut coagulati vel dimidia ejuſdem ponderis pars, in chartulâ, habeatur, urgente potionis inopiâ, navigantes diu vitam ac ſanitatem protrahere poterunt donec DEUS media in terras appellendi concedat, nec ſtatim opus ſit propriam Urinam, ſive undas marinas, quibus noxa & pernicies ineſt, bibere. Has & ſimiles virtutes ſpiritus ſalis in navibus oſtentat, quæ brevitatis causâ non omnes enarrantur. Ceterùm & meditatus ſum, queînam aqua ipſa Oceani per præcipitationem dulcis ac potabilis fieret, hic ut nullæ uſpiam undæ in ipſo defectu deſiderari queant. Et eatenus quidem ſcopum meum attigi, quod bonam ſalis partem ex aquâ præcipitârim, quæ & longè dulcior evaſit, in tantum verò eandem reducere non potui, ut omne ſal

ſal abhinc extraxerim, ſed ſemper ſalſedo aliqua remanſit. Quamvis in caſu neceſſitatis hæc aqua adhuc uſurpari poſſet ad coquendum piſa & fabas in navigiis, vel ut ſuper frumento concentrato affuſa deſpumet. Sic enim per fermentationem plus adhuc ſalis admitteret, & inſtante neceſſitate citra damnum adhiberi poſſet, cùm Liquor frumenti dulcis ſit, nec alvum adſtringat, immo tantum bonitatis conferret, quantum unda marina per præcipitationem ſalis aliquatenus edulcorata, detrimenti adducere queat. Sagacius autem, per DEI gratiam aliquid odoror, & proba lego veſtigia, ſpero etiam me cum DEO ac die impetraturum: ſi inveniam, libens communicabo. Quod autem nunc temporis penes me eſt in proximi mei commodum patefaciam, ac bonum principium (DEUS quod reſtat benignè largiatur) oſtendam, quomodo Aqua Oceani penitus potabilis reddatur; id quod omnino optandum fuerit. Sequitur ergo hic modus prout mihi jam ſuppetit, ex aquâ ſalsâ dulcem facere. Genus aliquod Mineralium reperitur, quod Mariæ Glaciem appellant. Non eſt vitrum Moſcoviticum, prout fortean aliqui opinantur, ſed alia ſpecies. Cum in ignibus excandeſcit, & ſic in aquam marinam projicitur, ſtatim ad tenerum & candidiſſimum pulverem redigitur. Quo facto vas aquæ marinæ plenum, in quo Glacies Mariæ exſtincta fuit, confeſtim hinc & inde agitetur ac commoveatur; tunc pulvis partem ſalis ex aquâ ad ſe attrahit,

trahit, & in fundo vasis subsidet, aqua verò clara ibi consistit, quæ effundatur. Si animus igitur ferat, eundem laborem secundâ vel tertiâ vice repetere; aqua quidem fit dulcior, per hanc tamen præcipitationem planè potabilis non evadit. Ceterùm sal sive solutio saturni multum salem ex aquâ marinâ demittit, nec tamen eò perduci potest, ut potabilis reddatur. Modus optimus, quem nunc scio, hic ipse est, sed magno aliquatenus pretio constat: ubi tamen necessitas adigit, aqua dulcis ad bibendum commoda majorem gratiam & opem, quàm obligatio mille aureorum Hungaricorum suppeditat. Hinc artem istam summo in honore haberi par fuerit quamvis aliquos sumtus requirat. Et ita omninò est; antequam siti pressus mortem obeat, omnia quæ possidet pro uno aquæ haustu, dummodo hunc in casu necessitatis nancisci queat, libens erogabit, vitæ suæ conservandæ. Quamobrem nonnihil duntaxat hujus præcipitationis, ad præservandum, navibus committi posset, ut in summo rerum discrimine administretur. Si necessitas non postulat; Remedium illud domum reportatur, & usque ad aliam navigationem custoditur, cum neutiquam dispereat, sed post centum annos perinde bonum sit, ac primo die, cùm ejus cæpta præparatio. Quidnam igitur hoc sit, non est opus nimis divulgare, sed qui desiderio ejus tenetur, ad me visat, & impetrabit. Informandis autem rei Chymicæ peritis hæc dicta velim, quod ejusmodi salis ex aquâ præ-

cipitatio per singularem arenam necessariò perficiatur, quæ non modò sal, sed & omne phlegma, sordes, ac impuritates deorsum pellit, sicut aqua, etiamsi simeto palustri qua immunditiem ac fœtorem similis, intra paucas horulas, beneficio hujus Præcipitationis, summam claritatem, instar limpidissimæ aquæ fontanæ, adipisci possit; quoniam & unà malus odor ac gustus præcipitantur. Idem ex omnibus aquis, quomodocunque paludosis, nec ex hisce solùm, sed & cunctis potulentis, utpote vino ac cerevisiâ, patrari potest, etiamsi vinum rubicundum fuerit; cùm Præcipitatio omnem limum, colorem, fœtorem attrahat, & fundo committat. Atque hinc non illæ tantùm potiones, quæ forte per aliquam corruptelam, aut deditâ operâ, rubeum habitum adsciverunt, sed & Crystalli naturâ rubræ, in perspicuam claritatem efformantur; id quod Oenopolis multum emolumenti adferre potest. Nam aliàs aquæ marinæ ex indole sua dulciores evadunt, cum per arenam communem longius avehuntur, & hæc sal in se quasi combibit. Hæc enim duo mutuam communionem & communicationem fovent, cùm ambo ex undis generentur, per flammas etiam in vitrum pellucidum, sive aquam siccam resolvantur. E quibus nemo non rerum gnarus deprehendit, hanc aquæ marinæ ex aquâ præparatâ edulcorationem stabili fundamento niti, & cum natura convenire. Sicut etiam hæc artis præstantissimæ nomen ac dignitatem

pro-

promeretur, quippe, quod ejus ope, casibus necessariis, aqua tàm copiosa in dulcedinem convertitur, ut simul ipsa vita per eam vendicari ac liberari possit, ita tamen melius est, ne rem eatenus & ad restim, quod ajunt, progredi patiamur, sed in tempore nobis de spiritu salis prospiciamus. Tunc enim pauxilla Aqua longùm sufficiet, immò plus, quam multum aquæ communis efficiet: Atque hæc in præsens Egregio publico liberaliter depromere volui; quæ ubi grata fore & ad praxin deduci intelligam, meas quoque partes strenuè heîc agam, & aliquem rei peritum subornabo, atque informabo, qui tàm prædictum Medicamen adversus ægritudines marinas & spiritum salis contra sitim, quam concentrationem frumenti erga famem, corpori firmando ac sustentando, uti & arenas indicatas ad aquæ præcipitationem, legitimè conficiat, ac quibusvis ea cupientibus justo pretio, & omni tempore largiter exponat.

Prælibata itidem Alexipharmaca, prout Electuarium meum Minerale, ac spiritus & Crystalli salis non solùm in navigationibus contra hosce morbos, febrim, scorbutum, & id genus alios, sed etiam terrâ in omnibus Mundi locis, benè ac commodùm adhiberi possunt. Quamvis etiam antehac aliquot ejusmodi probæ notæ Medicamenta, & jam pronuper *parte 2 Pharmacop.* meæ *Spagyricæ* Minerale aliquod Remedium, sub titulo Panaceæ, descripserim, atque adversus morbos

bos omnes commendarim, ubivis etiam egregiæ curationes, multorum cum admiratione, per hoc quotidiè fiant; illud tamen Electuarium meum Minerale isti præfero, & ob usus quidem accommodos, cum è pixide, cultro saltem, quantum opus, desumatur, nec ullis vehiculis, utpote vino, cerevisiâ, & aliis, quæ panaceæ usurpandæ necessaria, indigeat. Prætereà nec ratio ponderis heic exigitur, sed oculorum æquilibrio dijudicatur convenientia, prout æger senex aut juvenis, imbecillus vel robustus apparet; ad quam dosis etiam applicari & observari debet. Nimirum qui adultæ jam ætatis ac firmæ, tantam Electuarii quantitatem jejuno stomacho simul ac semel adhibeat, qualem unius pisi magnitudo constituit, & horas aliquot ab omni pastu si tempus atque occasio fert, sese abstineat, usionis etiam tempore Patiens aërem frigidiorem, & calidam æstivi solis temperiem evitet. Adhibendum autem venit per singulas hebdomadas 2. 4. aut pluribus vicibus, prout ægro necessitas suadet cui quoque dosis augenda & minuenda fuerit. Quod si fortean unum granum non operetur, duplex usurpari poterit, etiam ad 3 seu 4 ascendendo. Cum autem parva dosis administratur, vim insensibilem confert; si paullò amplius, tunc sedes procreat, nonnunquam & vomitum, ubi talia reperit, quæ hujus beneficio egredi velint. Porrò dum hoc Medicamen alvi onera perquisivit, multas sedes concitat, & bene ventrem evacuat; si pravos salsos-
que

que humores invenit ſudoribus expellendos, per ſputum atque urinam ipſos ejicit, & univerſum corpus ab omni malo perpurgat. Breviter dicam: Sanguinem purificat maximè, præ omnibus phlegmagogis, & cunctas membrorum principalium internorum, videlicet epatis, lienis, ac pulmonis obſtructiones aperit, nulla penitus apoſtemata tàm intus, quam forinſecus excreſcere patitur, fluxus & catharros, qui oculis, dentibus, auribus accidunt, conſumit, luem Gallicam, ſine diaphoreſi ac fomentis, ab intra ſaltem adhibitum brevi tempore radicitus exterminat, Lepram, Podagram, Hydropem, Epilepſiam juvenum ac ſenum, Lithiaſin renum & veſicæ propellit, omnem febrium cujuſcunque nominis familiam longùm valere jubet, interiora denique & externa tum vulnera tum ulcera funditus perſanat, dummodò intrinſecus ſaltem adhibeatur, & diæta uti decet ſemel obſervetur. Summatim repeto: Hæc Medicina tuta & approba eſt morbis omnibus curandis quantum fieri poteſt, nec adfectus inveteratus manum auxiliarem heîc reſpuit. Si ſcilicet malum tantopere invaluit, ut jam fixam ſedem conſtituerit, & plenariè propulſari nequeat, velut podagra, Calculus renum & veſicæ. tunc nihilominus Pharmacum hoc dolores mitigat, & vel tardiores, vel tolerabiliores efficit, ac præcavet, ne incrementum ſumant, ſed magis magiſque mollìantur & deminuantur. Cuncta ſcabies & corporis impetigo, ab impuro hepate ac ſanguine

guine nata haud difficulter eo curatur, si intrinsecus absque ullis externis unguentis atque appositis lenimentis utamur. Quid pluria edisseram? Medicamen hoc satis laudari nequit, cùm universaliter ad omnes hominum ac pecudum ægritudines operetur. De quo nunc pausam orationis meæ facio; siquidem hunc Libellum nimîs excrescere nolim. Si singulas ejus vires ac virtutes recenseam, Liber hinc magnæ molis evaderet. Operatur illud maximam partem invisibiliter, atque occultos etiam morbos relegat. In urbibus maritimis & uliginosis regionibus Medicina melior contra Scorbutum & huic similes adfectus inveniri non potest. Omnes enim humorum pravitates, è quibus morbi tales nascuntur, haud difficulter amovet, corpus malis Symptomatibus evacuat, & à peste ac aliis contagionibus tutatur, infectiones autem ipsas feliciter persanat, memoriam, cor, cerebrum efficaciter confirmat, à Paralysi & huic adjunctis præservat, & eadem jam correptos pristinæ Sanitati restituit, cum tempore itidem illos restaurat, qui in sinistra curatione luis Venereæ per Mercurii illinitionem membra contracta aliquatenus acceperunt, vel alias nervis repressis immobiles existunt. Qui singulis septimanis, vel etiam intra 3 aut 4 hebdomadas prophylacticè illam adhibet, huic dentes non dolebunt, nec aures tinnient, nec oculis acriores fluxus perniciem aliquam inferent. Sed & ejusdem beneficio inveterati diuturniores & corrodentes

dentes corporis catharri, fiſtulæ, Cancer, & alia quaſi incurabilia ſymptomata perſanantur, immò quicquid proſperæ hominis valetudini deceſſit, oppugnatur ac devincitur. Hinc pauperes, divites, ac illi præſertim, qui longum iter mari ſuſcipiunt, & Medicis carent, iſtud Alexipharmacum meritò diligere, ac ſibi de illo, tempore neceſſitatis olim adhibendo, proſpicere deberent. Si quis ſemunciam illius ſecum geſtet, toto amplius anno præſervativum & curativum multis in morbis poſſidebit. Si navis ad Indiam Orientalem ſeu Occiduam profectura dimidium libræ ſecum teneat, plurimi mortalium vitam hinc ſervare poſſent. Unus autem ex illis non tanti ſit, vel decuplo plus æſtimetur, quam ejuſmodi Medicina conſtat, cujus ope multis hominum centuriis ſanitas & vita vendicari, ac in priſtinum ſtatum reduci poteſt? Mei quod erat muneris abs me factum eſt, ſi grato animo accipitur, tali quoque agnoverim; ſi minus, conſcientiam tamen liberavi, ac talentum meum cum benevolentiâ depromſi. Et ſic manum de tabulâ, ubi etiam acquieſco.

Nunc porrò neceſſarium, ut virtutes ſpiritus ſalis, quas extra navigationem præſtat, deſcribamus. Quod enim ægris in navi prodeſt, terrarum habitatoribus non eſt noxium. Et ſpiritus hic in omni pariter Oeconomiâ (præſertim in hiſce humidis regionibus, ubi ſcorbutus vulgo regnat, immo in ſingulis ferme ædibus ad minimum unus

hoc

hoc adfectu correptus reperitur) sub usitato potu, cerevisia sive vinum fuerit, usurpari potest. Zythus enim limpidus hinc efficitur, & meatus urinarios ad mingendum bene dilatat, prohibet insuper, ne Lithiasis renum aut vesicæ adcrescat, vino etiam jucundum valde ac gratissimum saporem efficit, superfluum ipsi Tartarum removet, & substantiam ejus ad fundum præcipitat, sic ut vina Hispanica & Francica insignem limpiditatem, ritu Rhenensium, acquirant, ac præpedit, ne illud paucas fæces, & sic duritiem quasi, an cruditatem, emittat, æstivo etiam tempore Lyæum semel despumatum rursus ascendere, mucidum fieri, ac de novo operari non patitur, sed à multis quæ ipsi accidere queunt, custodit. Quicquid sit, vina Gallicana, prout vulgò multis locis venduntur, nec odorem nec saporem præ se ferunt, haud longè aliter, quam aqua facchari. Vinum, si bonæ notæ, sapiditatem vinaceam, & gratum simul odoratum ex se præbeat. Ubi hæc in ipso desiderantur; nomen rebus non conveniet. Gustum autem Rhenanum vino Gallico spiritus salis, jucundam atque efficacem odorationem, ac pulchrum colorem, Essentia vini conciliat, sic ut jure vinum C. O. S. appellari possit, egregio Colore, Odore, Sapore præditum. Hinc quoque ita melioratum Rhenani instar multos annos durabit, cum alias vix duos perennare queat. Præterea per spiritum salis melli innata saporis haud adeò jucundi qualitas auferri, & occulta ejus impuri-

puritas præcipitari poteſt, ſic ut potio præſtantiſſima inde fiat quam ratione ſalubritatis nulla ſuperet. Inſigne nimis artificium, hiſce locis exercendum, ubi non eſt vinorum proventus! Nam ubi mel probè depuratum, & inſuavis guſtus ipſi ablatus, confortans velut Balſamum homini accidit, prout miles ille veteranus, Alexandro quærenti, quodnam hujus ſenectæ tàm longum incrementum ſibi comparaſſet & adhibuiſſet, reſpondebat: Intus mel, foris oleum. Et ſat apud plurimos conſtat, magnam in melle vim abſconditam eſſe, ſed inſuavis guſtus cauſſa abhorreri. Qui tamen ſpiritus ſalis amovetur, ſic ut potus à tam puro melle paratus humanæ ſanitati perinde conducat, ſicut vinum optimum. Cui hoc etiam emolumentum adhæret, quod omnibus anni temporibus quilibet Oeconomus pro ſe ac ſuis potionem bene confectam, quâ exhilaretur, menſæ ſuæ apponere poſſit. Sed & mellitum hoc nectar multos annos, more vini optimi Rhenani, durando perſiſtit, ac parvo valde ſumtu comparatur, optatiſſimum illis ſubſidium, qui, ob pretii magnitudinem vina coëmere non ſuſtinent. Suam inſuper potionem unuſquiſque ita fortem ac ſuavem adornare poteſt, ut ipſi lubet: ubi potiſſimum artis caput eſt, ingratum melli ſaporem adimere, quo per ſpiritum ſalis amoto potus etiam limpidus evadit, cui deinde guſtus competit, quemcunque addere volueris, Francicum, ſive Rhenanum. Immò & cereviſiam approbam inde

conficies, quæ 10 aut 20 amplius annos in bonitate & claritate ſuâ permanebit, ſi ſcilicet aquæ communis vicem aqua lupuli proba ſumatur, mellis defæcati cum hac ſolvendi gratiâ; prout etiam diverſi guſtus ex herbis diverſis injectis adjungi poterunt, ſicut aliàs apud vinum & cereviſiam fieri ſolet. Hoc autem inprimis attendendum, ne omninò ſpiritus ſalis non rectificatus huic labori adhibeatur, ſiquidem omnia heîc inſuavi guſtu afficeret, ac potionem corrumperet: id quod bonæ informationis cauſa reticere non debui. Talis verò ſpiritus ſalis eodem modo, quem heîc propoſui, vel etiam alio utili, quorum diverſos in ceteris meis ſcriptis manifeſtavi, præparandus, ac bene rectificandus fuerit: & tunc boni aliquid cum eo, aliàs neutiquam, fieri poterit. Nam prout hodierno tempore ſpiritus ſalis communiter paratur, & apud Myropolas venditur, nullius planè valoris aut uſus ad vina judicari debet; cùm inſuavis valde ſit, & Bacchum citiùs obſcurum, rubicundum, & injucundum, quàm ſapidum, clarum & luculentum efficiat. NB. Nec opus eſt, eundem ſpiritum vaſi ad vina & cereviſiam immittere, ſed ſufficit, in exiguo vitro adſervari & cuſtodiri, ac, quoties libet, guttas aliquot cantharo vini ſeu cereviſiæ affundere, & ita ex eo bibere. Potus igitur confici poteſt, pro cujuſcunque arbitrio, & vel multum ſpiritûs vel parum commiſceri, prout ipſius uſu delectamur, qui non ſolum vino & cereviſiæ, ut limpida & diu-

diuretica fiant, inſervit, ſed & commodùm ſub aquâ fontanâ, in æſtu dierum canicularium, vinis temperandis uſurpabitur. Nam ſi ejus vel guttæ aliquot in hydriam aquæ depromantur, hæc ſtatim gratiſſimam aciditatem adſciſcet, Acidulis naturalibus non multò imparem, &, diebus calidis, epati ac ſanguini inflammato dulce refrigerium, ſiti quoque levamen ſuppeditabit, ne nimium vini ac cereviſiæ, onerando ſtomacho, ingerere opus fuerit. Omnes etiam illæ potiones, uti vinum, cereviſia, & aqua, cui ſpiritus ſalis probus & rectificatus admiſcetur, longè ſalubriores aliis ejuſmodi mediis ad bibendum ordinariis exiſtunt. Nam ille calidâ & temperatâ gaudet naturâ, cruditates ventriculi à ſuperfluis compotationibus ortas conſumit, nec ullas adnaſci patitur, urinam ſenſim diſpellit, renes, veſicam, atque ureteres, ab omni mucore ac pituitâ perpurgat, tùm quoque incipiente Tartaro, quem etiam ubi jam adhæſit, cum tempore diſſolvit, & membris exterminat, aquam intercutem per ſedes ac urinas corporibus hydropicis educit, oppilationes hepatis, lienis, & pulmonis aperit, ſtomachum confortat, & bonum ac vividum ſanguinem generat. Si quid puri chalybis in hoc ſpiritu ſalis ſolvatur, ac dein recenti aquæ jungatur, eundem ferme ſaporem, ſicut Acidulæ ſpadanæ prope Leodium conſequitur, & ſi hujus aliqua copia guſtetur, alvum ſolutam reddit ſeu evacuat, & excrementa S. V. in colore carbonum,

ac homo inde vigorem atque alacritatem concipit, non ſecus quam ſi ex Aquis illis ſpadanis bibiſſet. Atque hujus theſauri potiundi facultas quibuſvis peregrinantibus conceditur, ut ubique locorum, quò pertingunt, æſtivo præſertim tempore, ſpiritum ſalis in vitro ſecum portantes, cereviſiam ſive vinum in hoſpitio corrigere, & meliori guſtus ſuavitate ac ſapiditate afficere poſſint: Quoniam verò hic ſpiritus non ſine gravi periculo circumgeſtatur, ſi fortean ex incuriâ vitrum in ſacciperio frangeretur; & ille (qui ſatis acer antequam vinum, cereviſia, & aqua accedat) quicquid in perâ & ciſtâ veſtium aut alîus ſupellectilis, corrumperet, ac maculis perſpergeret; pro bono mihi viſum eſt, illum ad formam ſalis coägulare, ut in chartâ, ciſtellulâ, aut alio id genus receptaculo, ſemper ſiccus portari aut circumduci, nec ulla vitri fractura timeri queat. Et ſpiritus hic coagulatus non modo ditioribus ac in re lautâ conſtitutis, qui curru & equo iter peragunt, ſummoperè prodeſt, ſed & pedites in longis bellorum expeditionibus commodum eo uti frui poterunt, dum æſtatis tempore multas vias obeunt, & lacus ac paludes, morticinis equorum ac omni genere ſordium oppletas bibunt, unde poſtea Dyſenteriam & alios morbos contrahunt, ac inſtar muſcarum letho concidunt. Fit nonnunquam, ut tabellarius, operarius, aut alius boni commatis Sociennus fervore æſtatis, terras perambulet, & cum eundo incaluit, ex quolibet fonte ſibimet

obvio

obvio bibat; unde hepar horrorem concipit, ipſe autem, uti prius, ſitim retinet. Si autem hujus ſalis tantundem, quantum piſi magnitudo adæquat, ſcypho aquæ immiſſum, biberet; unicus iſte cyathus ſitim ipſi magis reſtingueret, quam ſi aliàs continuato actu immenſam undæ copiam ingurgitaret. Utut autem hic ſpiritus ſive ſal cunctis hominibus, cujuſcunque ſtatus altioris ſeu inferioris fuerint, locupletibus & egenis, inſervire atque utilitatem adferre poſſit; nuſpiam tamen quam apud navigantes in longo mari & in bellicis expeditionibus apud milites illum magis neceſſarium eſſe video. Eorum qui caſtra Martis ſequuntur, plures nonnunquam ex defectu aquæ mortem obeunt, quam gladio vitam amittunt. Hi quoque, tum & ſocii navales, morbos ſuos maximam partem ex nauteâ contrahunt quibus facilè præveniri poſſet. Quidnam commodi redundat in Præfectum militarem, ſive Mercatorem navigiis imperantem, ſi plures illi navium adminiſtri ac defenſores cum morbo colluctentur? Nonne multi ſumtus ad ipſorum ſuſtentationem requiruntur, & cum ob ægritudinem lecto adfixi ſunt, quid utilitatis præſtabunt? Nonne ſatius foret omnem adhiberi diligentiam, ut ipſorum ſanitas conſervaretur, & ubi damnum ſive jacturam paſſa, reſtitueretur? Quod levi labore ac ſumtu fieri poſſet. Summus militiæ præfectus exercitum nonnunquam in campos producit, qui ad 10, 20, 30 millia hominum conti-

net: hi cum in cibo potuve legitimum ordinem non obſervant, ac omnibus medicamentis deſtituuntur, ſi forte peſtis, febres, ac dyſenteria ingruant; ritu muſcarum appetente hyeme, unus poſt alium concidit, cum tamen ejuſmodi morbis per ſupradictum Electuarium & ſal ex ſale, vel Spiritum Salis cum ſaccharo inſpiſſatum, facillimè obveniri potuiſſet. Verùm homines maximam partem avaritia Diabolica tantopere occupavit, ut citius aut libentius mortem oppetere, quam præſentaneum aliquod ægritudini ſuæ medicamentum applicare malint: immò fœditiſſimæ ſuperbiæ in omnibus ſatisfaciunt, etiamſi cætera in pejus ruant, ac retrò ſublapſa ferantur. Ita Mundus perverſus cæcitatem, malitiam, ac proprium commodum diligit, cui nemo quoque aliam vitam mores alios, quàm ipſa mors indere poterit, cùm nimis à Sathanâ obſideatur & in vinculis quaſi detineatur.

Ceterùm Spiritus Salis à veteribus & neotericis Medicis maximi æſtimatur, & eximias virtutes ſibi aſſignatas accipit, quas intra & extra adhibitus oſtendat; quibus & ego nihil addam aut demam, dum non alia in lucem profero, quàm quæ ipſe probârim & proba eſſe repererim. Hoc autem exploratæ veritatis eſt, quod plus boni, quàm quivis credere queat, in ipſo ſit abſconditum. Si ſal commune tàm præclara res eſt, ut hominibus & beſtiis conducat, ut demortua & viva corpora à putredine præſervet; quid non ejuſdem

dem ſpiritus faceret, qui depuratum, per ignes correctum, ac melioratum ſal habetur, qui omnia tàm animata adhuc, quàm inanima & exſanguia melius à putrefactionibus quam vulgare ſal tutatur, nullam tamen inſtar crudi ſalis ſitim concitat, ſed magis amovet. Meritò igitur bene præparatum an rectificatum Spiritum Salis magnifacere debemus, cum ad interna & exteriora non minimas utilitates, aliis quoque artibus plurimis ſubſidium conferat: de quo in 1 *&* 2 *parte Furnorum* meorum exactius commemoravi, nec opus ea huc repetendo arceſſere. Ut autem benevolus Lector videat, me non unum eſſe, qui virtutes ejus celebrem; alterius adhuc peritiſſimi nec minus celeberrimi Medici, *Conradi Kunraths* Experientiam heîc apponere libuit, quam de Spiritu Salis in *Medullâ* ſuâ *Diſtillatoriâ*, ſicut Anno 1638 Hamburgi prodiit, *parte* 1 *pag.* 59 hiſce verbis expreſſit:

Præcipuæ & efficaciſſimæ Operationes, quæ Spiritui Salis, ſive, ut vulgò vocant, Oleo Salis, attribuuntur.

Spiritus ſive Oleum Salis guſtu ſuo tantam acrimoniam non exhibet, ſicut ſal communiter, nec eam adeò aciditatem, ut Spiritus Vitrioli, ſed ſapor ejus pæne ſimilis eſt ſucco pomorum ſylveſtrium, aliquâ tamen ex parte ad dulcedinem accedens. Virtus ejus eſt ut diſcutiat, diſſolvat, conſumat & exſiccet; nimis tamen non calefacit, ſed indolem ferme temperatam habet,

mitigans simul & confortans calorem naturalem, quem etiam adauget, ac dispellit omnia naturæ Contraria, statum sanorum humorum illæsum conservat, phlegmaticis præsertim utilissimus, quibus viscosam humiditatum saburram absumit, deciduos ex capite catharros impedit ac tollit, & ab omnibus præservat morbis, qui à noxia pituitâ, mucore, ac fluxibus oriuntur. Immò quibus illum uti par est, usurpare labor ac studium fuerit, hi penitus vires sibi restauratas ac velut novas esse persentiscent.

Experientia rerum magistra comprobavit, quod Epilepticis in aqua vitæ bonâ subministratus, dante DEO *præsentissimum remedium exstiterit.*

Adversus Apoplexiam, aut Paralysin, loquelæ itidem amissionem, ut & tremorem ac pulsum cordis, cætera quoque animi deliquia, tum etiam tempore pestis atque infecti valde aëris, utiliter adhibitus fuit, dum succi Violarum & Electuarii de Juniperis, utriusque duæ unciæ, & commisti Spiritus sive Olei Salis semuncia, beneficio lapideæ pixidis inter se agitata, Patiens mane jejuno stomacho, simul ac semel in magnitudine nucis avellanæ & præterpropter, usurpavit.

Feminis prægnantibus, compositum illud Medicamen partum faciliorem reddidit, puerperis itidem adversus varia symptomata præbitum, sine omni detrimento ac periculo valdè profuit.

Si quis colorem nativum conservare appetit, hoc Alexipharmaco sæpius utatur.

Qui superfluitate humiditatum oneratus, & hisce libenter aliquam partem levari desiderat, Spiritum

hunc sive Oleum Salis in vino aut aliis vehiculis quotidie adhibeat.

Pectori frigiditatibus & continuis fluoribus oppleto apprimè conducit, tussim inveteratam, & gravissimum Asthma, ab istis fluxibus concitatum, propellit.

In ventriculo pravam humorum Congeriem, ibi collectam, adnatam, & induratam, dissolvit, absumit, ac dissipat; & quamvis per se multum nutrimenti non communicet, bonum tamen edendi appetitum stomacho excitat, & cibis corpus statim pervadendi occasionem atque abscessum disponit.

Contra diutinas & nimium invalescentes hepatis ac lienis obstructiones tartareas, immò & indurationes opem confert; siquidem illas aperit ac relevat, & hinc nascentem aut jam enatam Icteritiam, Hydropem, Melancholiam Hypochondriacam, dolores atque affectus costarum ac viscerum & quicquid etiam à ventis ac flatibus oritur, atque alia ex dictis causis provenientia symptomata tollit & amovet, Anasarcam inprimis, & aquam intercutem absumit, aquosos denique ac bullientes in membro genitali & cruribus tumores, qui plerumque hydropicis, phtysicis, ac epate laborantibus accidunt, penitus amovet.

Sed & iisdem magnam sitim tollit, quæ aliàs in hoc morborum genere non leviter affligit, sic ut plane non teneantur bibendi desiderio, & dies aliquot sine potu vitam tolerare poßint. Cui bono Spiritus hic quotidiè in generoso vino, vel saltem in aquâ absynthii usurpandus, &, ubi placet, parum de sale absynthii admiscendum fuerit. Exteriùs prodest si cum hoc Oleo sive Spi-

ritu fricatio instituatur, quæ, volente DEO, tales ejusmodi ægritudines brevi tempore feliciter persanabit; prout etiam eodem remedio putridæ febres removentur ac propelluntur.

In torminibus ventris, & passione Colicâ quam crassior humorum viscositas, aut flatuum intemperies, sive vis frigorum concitant, densum ac spissum in intestinis phlegma descutit, crudas inflationes & verminationes quæ Ileum augent atque exasperant, resolvit & consumit, atque ita internorum viscerum oppletos meatus adaperit, ac flatum alvi emollit, & hinc tenuioris intestini seu iliacos dolores compescit, sive oretenus degustetur sive per enemata applicetur. In Lienteriâ, Dysenteriâ, vel Hæmorrhagiâ per clysteres adhibetur, morbis itidem nephriticis suppetiatur, & gravissimam vesicæ lithiasin dispellit atque exterminat. Herniosis aut enterocelicis quotidiè aliquot guttæ in bono vino præbeantur, ramex etiam seu Bubonocele cum hoc oleo sive Spiritu sæpius illiniatur, & in ligamento foveatur; tunc æger paucis diebus pristinam valetudinem recuperabit.

Omnes vermes, in corpore crescentes, abigit, & ne segetem amplius aut seminia producant, impedit.

Diræ pestis contagio Præservativum est efficacissimum, & hac jam infectis apprimè conducit, tùm & iis qui virus conceperunt. Item qui fungos venenosos ac Opium comederunt, qui etiam à serpentibus, viperis, araneis, & id genus aliis insectis læsi perniciem contraxerunt, mirè proficit, interno atque externo usu accommodatum, quoniam humiditates virulentas consumit.

Pun-

Punctioni & ictibus crabronum aut vesparum topicè adhibetur.

Pinguioribus feminis & iis quæ matricem à superfluo humore ac pituita immundam gerunt, Spiritus hic sive Oleum Salis bene atque utiliter usurpabitur. Ejusdem quippe beneficio omnis phlegmatum redundantia & incommoditas purificatur, consumitur, & exsiccatur; ut semen eò facilius in utero subsidere, & sic fertilitas valde promoveri possit.

Si fortean in oculis à residuâ carne impuriores excrescentiæ protuberent, tùm & suffusioni atque albugini, phlictenis itidem, pustulis & maculis luminum, ac obscuritati & caligini visus amovendis, in bono collyrio, ac aliis commodis vehiculis usurpatur. Et qui à verbere, contusionibus, sive casu, livorem oculorum, vel concretum in facie sanguinem accepit; spongiolam seu linteum Spiritui aut Oleo Salis intingat, & locis adfectis applicet; vel parvam rubræ Myrrhæ quantitatem in eodem dissolvat, ac dein melle permistam ipsis alliniat. Cutis etiam faciei ab hoc pulchrior, purior, ac politior redditur; quocirca, majoris commodi caussa, cum vino, vel aliis huc facientibus aquis conjungi, & ita, sicut dictum, usurpari poterit. Sibilus ac tinnitus & otalgia sive dolor aurium eodem lenitur ac propulsatur, tunc etiam quando aures ulcerationem ac purulentiam emittunt, eadem Medicina felici successu adhibetur. Et in quibusdam hisce symptomatis aceto vini commiscetur, guttatim instillatur, & locis morbidis affricatur.

Adversus ulcera in ore lactentibus pueris nascentia, sive Aptham, tumefactis itidem tonsillis & glandulis colli

colli discutiendis, ac impuriori linguæ purificandæ, nec minus putridæ prominenti gingivæ persananandæ, scorbuto removendo, Odontalgiæ, tum & dentium ac gingivæ superfluis humoribus ac sordibus illic adhærentibus absumendis, & iisdem membris ab omni putredine ac situ præservandis, Spiritus hic sive Oleum Salis despumato melli junctum ori illinatur, & parti adfectæ affricetur. Contra Mammillas mulierum malè adfectas & ulcerosas linteola Spiritu sive Oleo Salis humectata apponantur, & statim illæ sanabuntur. Liquida scabies, prurigo, & alia contactu inficiens porrigo, lichen, impetigo, per internum atque exteriorem Spiritus sive Olei Salis usum optimè abiguntur.

Ulcera & tubera ex morbo Gallico ac aliunde nata si ad maturitatem, saniem, & suppurationem perducere velimus Oleum sive Spiritus Salis, per se, aut alia remedia commoda exterius applicata, efficere poterit. Ad sanationem venenosi Ulceris, quod serpigo sive Herpes dicitur, & deorsum ad interiora usque ossa penetrat, tùm etiam adversus virulenta apostemata, quæ Cacoëthes vocantur ad corrosivos quoque in membris genitalibus adfectus, eorumque fluores & apertas extuberantias Spiritus sive Oleum Salis vino albo commiscetur, & cum hoc farina hordeacea ad emplastri consistentiam præparatur, quod deinde superponitur.

In malis itidem, qui longè lateque serpunt, cancrosis utiliter usurpatur, succo rutæ permistus, & aptè applicatus.

Ut summatim exprimam, interna hujus atque externa usio fluidis & corrodentibus vitiis resistit, & bonum

num eorundem ſanationi fundamentum ſuperſtruit.

Diſtractis, luxatis, abbreviatis & contractis ſive claudicantibus membris atque artubus, ut reſtituantur, fomentationes atque epithemata, cum hoc Oleo Salis vel per ſe duntaxat, vel aliis huc facientibus mediis conjuncta; efficaciter penetrant, & auxilium præſentiſſimum largiuntur.

Verrucis depellendis idem Spiritus Calthæ ſucco commiſtus applicatur; uti etiam clavis pedum, ſi videlicet hi poſt balneum rite circumcidantur, ac dein cum hoc Oleo illiniantur. In Eryſipelate, Roſâ, vel Igne ſacro Medicamen hoc cum Aceto Sambuci ſuperpoſitum vires potentiſſimas ſæpius exſeruit.

Vi frigorum corruptæ ac fiſſuram paſſæ manus & pedes beneficio hujus Medicinæ reparantur & valetudinem recipiunt. Laſſitudini plantarum & ceterorum membrorum extrahendæ, robori quoque ac vigori eorum reſtituendo, Spiritus hic ſive Oleum maximè conducit, ſi ante furnum aut ignem calidum bene fricentur atque agitentur.

Catharri & fluxus frigidiores, qui artubus, arteriis & juncturis illabuntur, atque illic omnifarias membrorum ægritudines, dorſi dolores, Iſchiadem, Chiragram, Gonagram, Podagram, Arthritidem, tormina inteſtinorum, Contracturas, & nervorum convulſiones ac diſtentiones concitant, per hunc Spiritum ſive Oleum Salis abſumuntur & amoventur, ſi nimirum in convenientibus vehiculis intrinſecus adhibeatur, & forinſecus ſupra locum affectum applicetur. Sic enim dolores ac pathemata efficaciſſimè mitigantur, & tophi ſeu callo-

lofa

losa in articulis durities, si fortean adhaeserint, discutiuntur, praesertim si hoc Euporiston cum Oleo Vitrioli dulcis mistum nodis applicetur: hos quippe supra modum ex voto dissolvit.

Doloribus insuper Podagricis praestantissimum existit remedium, & hisce leniendis percommodum anodynon, si nempe una cum interno usu, exterius etiam ac topicè administretur. Jungenda enim heic Medicamini nostro sunt Oleum Terebinthinae, Oleum Cerae, Oleum Chamomillae, vel etiam Oleum Verbasci, quae partes adfectas probè perungant. Ubi verò membra ex catharris ac fluxibus ad contracturam sese contulerunt, idoneae fomentationes suscipiantur, &, praeter Oleum sive Spiritum nostrum, Oleum Vitrioli dulcis, ac Spiritus seu Oleum Terebinthinae optime distillata & invicem commista, coram calore ignis, modo jam indicato, forinsecus illiniantur. Atque hinc artus ac nervi apprime, & ita confortantur, ut tales ejusmodi fluxiones non amplius tàm facile queant adsciscere. Contra spasmum & nervos frigore concussos Spiritus hic sive Oleum Salis summâ cum utilitate applicatur, intra & extra more debito adsumtus.

In externis vulneribus & symptomatis putredines saepe contingunt, caro etiam petulca nonnunquam protuberat, & impensos dolores provocat. Hi naevi cum hoc Spiritu sive Oleo peruncti statim dissolvuntur atque absumuntur, sed & à futuris corruptionibus immunes conservantur. Summatim, haec est Medicina excellentissima, multorum valde morborum superatrix.

Porrò lecturis sciendum est, hunc Spiritum sive Oleum Salis, praeter jam enarratas vires ac virtutes, si more

more ac ritu præscripto, diligenter distillando compositus fuerit, ad multarum rerum maximè insignium, præstantissimarum, & pretiosarum in arte Chymicâ præparationem usurpari. Aurum enim solvit, tum & gemmas, atque alios lapides, margaritas, Coralia &c. ut deinceps in formâ potabilitatis ac liquoris sui ad summam, & omnium utilissimam, hominum Medicinam applicari possint. Quos processus, qualiter hi ad laborem ex fundamento institui debeant, hic significare prætermitto. Qui autem ab informatione illâ, quam hæc Medulla mea Distillatoria & Medica &c. fidelissimè proponit, per solertiam, industriam, atque operam suam, bonum laborandi principium hausit, rem fervore animi accuratius perpendat, & manum operi admoveat, nullum in eo tædium tam facilè concipiat, honestos insuper, synceros, benevolos, & probe peritos Artifices adhibeat, atque eorundem consiliis innitatur; tunc sane multa Naturæ secreta, & varia singularia admodum Arcana (præ aliis Thrasonibus, ac ignavis hominibus) expedite comperiri atque invenire poterit, nec curam & diligentiam suam male aut frustra collocatam esse sentiet: dein experientiâ illâ ad DEI laudem & egentis proximi sui bonum atque emolumentum utatur.

Virtutes, seu efficacissimæ Operationes Spiritus aut Olei Salis in quo Aurum recte secundùm Artem solutum, vel Aurum Potabile cum eo compositum fuit.

PHilosophi & Medici multâ rerum exercitatione ac peritia præditi Oleo sive Spiritui Salis, in quo Aurum

rum rite dissolutum, vel Aurum potabile cum eo confectum, summas plurimarum in corpore humano virium Operationes attribuunt, eo quod omnibus morbis atque infirmitatibus, cujuscunque tandem nominis, præsentaneam opem & ægro in cunctis animi deliquiis, licet quoque jam ad fatalem metam tendat, præstantissimum levamen (quo vigorari & Spiritum vitalem aliquatenus protrahere possit) exhibeat; si binæ, tres, aut quatuor guttæ, per occasionem, simul & semel in Aquâ vitæ bonâ sive Confortativâ administrentur. Pari modo, cum unâ vice per hebdomadem tres simul guttæ, in generoso vino aut Aquâ vitæ seu aliis pro re natâ peridoneis vehiculis adsumuntur, hominem renovat, formam juvenilem ipsi conciliat, canos cum flavis capillis decore commutat cutem & ungues recentes producit, à variis & diversis morborum symptomatis illum præservat, & usque ad ultimam divinitus præfixam horulam in tali statu conservat.

Atque hæc de verbo ad verbum Philosophus ille ac Medico-Chymicus celeberrimus Conradus Kunraht in Medulla sua Distillatoria proposuit, uti lecturis illic patebit.

Jam vero quilibet conjectura facilè potest assequi, virum hunc, licet multam rerum experientiam sibi compararit, non omnia scivisse: quicquid ipsi cognitum, literis ac memoriæ prodidit, cetera prætermisit. Quod Plus autem adhuc utilitatis cum isto Salis Spiritu sive Oleo fieri posse, ex eo haud difficulter apparet, quod unus iste Medicus bonum esse illic invenit. Et quæ sub finem

nem de Oleo ſeu liquore auri per Spiritum Salis parato recenſet, voces ſunt ipſiſſimæ Veritatis, ac longe pluria beneficio iſtius ſolutionis perfici queunt. Scripſit ille quò Experientia ipſum duxerat, quæ reſtant aliorum ſtudiis & inveſtigationi reliquit. Cum igitur & ego, quod abſque laude dicam, manus meas carbonibus oblinitas non ſemel furnis Phyſicis immiſerim & inter alia hunc Liquorem Solis ſive Aurum Potabile cum Oleo Salis confectum magnarum eſſe virtutum repererim; uſum ejus atque ingentem vim & operationem, ab ipſa Experientia certior factus, fuſiori ſtilo accuratius deſcribam, ne tam nobilis Medicina defodiatur, ſed humani generis commodo atque emolumento præparetur, atque uſurpetur. Talis auri Liquor, cujus heic injecta mentio eſt, ex optimo ac puriſſimo ☉, & ad ſummum rectificato ac rurſus concentrato Spiritu Salis, componitur. Dum enim ☉ prius per Antimonium funditur & à ſordibus perpurgatur, deinceps in Aquâ Regis ſolutum cum ☿ præcipitatur; vi edulcorationis in ſubtilem calcem redigitur, quæ probè excandefacta forti ac bene præparato Oleo Salis diſſolvitur. Hâc dein ſolutâ, ſi in vitreo vaſculo pars Spiritus Salis iterum ipſi abſtrahatur, in fundo flavus admodum Liquor auri remanet, qui tamen ita non eſt applicandus; quandoquidem Oleum Salis nimiam fortitudinem atque acrimoniam in ſe continet. Gutta igitur ejuſdem cum cochleari cereviſiæ, vini, aut calidi juſculi

commiſceatur, antequam corpori adhibetur, ut ſic corroſivus Salis Spiritus exinde quaſi frangatur, nec ob magnam ſui aciditatem ægro uſurpanti tædium aut nauſeam excitare queat. Et ſi fortean propter majorem medicaminis adhibendi ſuavitatem, Oleum illud dulcius eſſe cupimus, tunc vini, cereviſiæ, aquæ & offæ carnariæ vicem, cum ſaccharo liquefacto, aut ſyrupo roſarum adminiſtrari poterit. Perinde enim eſt, quodnam heic vehiculum ſuppetat; & homo jam adfectæ ætatis ultra 2 ſive 3 guttas ſimul ac ſemel non uſurpet, quas ubi perſentiſcit non eſſe ſatis nec ſufficienter operari, Doſis augeri ac 3 vel 4 guttæ exhiberi poſſent, tam diu multumque, donec ſequentia gnoriſmata evidenter appareant; quibus perſpectis non eſt porrò adſcendendum, ſed magis unam guttam decurtari convenit. Hæc autem Criterea exiſtunt cùm Oleum auri ſuas rite approbat operationes: Primo uſu faſtidium ſive contrarietas aliqua ventriculi animadvertitur, quando Oleum auri malam forte pituitam ibi reperit, atque hanc exterminare cupiens, deorſum protrudit ac per ſedes ejicit. 2. Excrementa carbonum nigredinem referant, &, & durante uſu Medicaminis, æger ad minimum bis, nonnunquam ter aut quater abſque ullo impedimento, aut ſenſu neceſſitatis, prout aliàs in operatione pharmacorum fieri ſolet, alvum exoneret. Urina quoque ſit turbida, quandoquidem Medicina tartarum ac phlegma in renibus & veſicâ diſſolvit, ac pedetentim abdu-

abducit: NB. E nigris Excrementis clarè perſpicitur, aurum in ventriculo hominis radicaliter ſolvi & converti poſſe, quod nonnulli impoſſibile ſtatuunt. Stomachus humanus in deſtructione rerum potentiam, majorem quam ignis fortiſſimus, obtinet, prout heic in auro videre licet, immo omnia, quæ comeduntur ac bibuntur, 24 horarum ſpatio penitus diſpeſcit & in novam formam excrementorum tranſmutat. Si homo talia efficere valet, quidni ars etiam poſſit? immò hinc expreſsè probatur, quod colores auri tunc demum, ubi hoc radicaliter ſolútum & deſtructum fuit, emineant & cognoſcantur; ſiquidem nigredo in coloribus primas quaſi gerit, atque omnes alios ſub ſe abſconditos & concentratos ſuſtinet. NB. Hæc nigriora Excrementa non eſſent abjicienda ſed aurum radicaliter ſolutum ab iis rurſus ſeparari deberet: cum quo fortean mirabile aliquid in effectum deduci poſſet. Olim hoc auri Oleum infanti cuipiam per 8 aut 10 dies ſucceſſivè adminiſtravi, eâ de cauſſa, ut Mercurium contra vermes imprudenter ipſi exhibitum, è corpore rurſus abigerem. Excrementa, cum his aliquid probaturus, ut colligerentur, demandabam, quæ tamen, quia diu ſteterant & vermes inde germinaverant, nulli applicare uſui poteram, ſed ad radicem novellæ vitis collocari jubebam. Quod ita factum, & vitis, tantum biennis, nec ad uvas ferendas tunc idonea; parvulam uvam, magnis præditam acinis, cui aureæ maculæ inſtar aurea-

rum ſtellularum inſiſtebant nec abſque admiratione viſebantur, produxit. Et hoc exemplum omninò dignum eſt, ut altiori mentis indagine perpendatur. Mihi etiam hæc animo ſedet ſententia, quod urinam apud illos, qui prædictum auri liquorem continuò uſurpant, auriferam quoque eſſe oporteat; quamvis ex colore iſtud non adeò animadvertatur. Res extra omnem dubitationis aleam poſita videtur, cùm homines in uſu memoratæ ſuperius Medicinæ ſaltem occultam quandam auri virtutem attrahant, corpus autem rurſus dimittant, quod hoc ipſum aurum, Auro alio vulgari melius fuerit. Provida certè divini Numinis benignitas quicquid rerum in mundo eſt optimè diſpoſuit atque ordinavit. Cum in hominis ſive pecudis ſtomacho, cibus deſtruitur ac putreſcit, Natura pauxillum ab eo, nutritionis duntaxat habendæ gratiâ, adſciſcit, reſiduum per inferiora egeritur, nec tamen ſic abjectæ conditionis eſt, ut virtute ſuâ careat. Nam ſi hæc Excrementa, terræ cuipiam immiſta, per aquam pluviam irrigentur, & ſub dio aëri exponantur; propriis viribus, abſque ullius ſeminis admixtione, diverſarum herbularum copia inde ſuccreſcit. Ubi verò ſeminium herbæ alicujus adjungitur, tunc & ejuſdem ſubſtantiæ ac qualitatis fructus enaſcuntur, in quoſcunque volumus Excrementa illa converti ac degenerare: ut ſic Multiplicatio herbarum, fortaſſis & metallorum, ex hoc fonte originem ſuam capere poſſit. Putrefactio igitur antecedat neceſſum eſt, ſi Multiplicatio

tio subsequi debet; quod Christus ipse servator noster discipulis suis prædixit: Nisi, inquiens, granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit, ipsum solum manet; si verò mortuum fuerit, multum fructum adfert. Cùm autem in Arbore Metallica ☉ flavescentis rotundi seminis indolem ☾. Flores albos candidi Lilii ♀ viridium Foliorum formam, ♂ subfuscum duriorem Stipitem, ♃ griseum non procul ab hac stirpe Corticem, ☿ limpidum & quasi argenteum Succum, qui inter corticem & caudicem erumpit ac nutritionem suppeditat, ♄ denique nigram Radicem repræsentet, nullum verò omnium, quæ heîc in Arbore recensentur, Membrum licet putrefiat, vel telluri inferatur, sese multiplicare possit, sed à semine solum istud augmentum fiat; res non adeò magnæ absurditatis erit, si quis aurum putrefactum ab Excrementis, ut postea beneficio artis in Multiplicationem reduceretur, separare noverit. Ego quidem hoc nunquam aggressus sum; cui verò libet, periculum heîc facere, atque eventum expectare poterit. Philosophi aliàs proclamant, Materiam Lapidis in sterquilinio quærendam, & hanc esse fœtidam, atque ab hominibus contemtam, ut fimeto etiam associetur, &c. Quod autem dicterium ad sal petræ accommodari potest. Atque hanc brevem Admonitionem idcircò apponere placuit, ut uni aut alteri ansam darem, hæc ulteriùs secum perpendendi. Certum alioquin est, Aurum, si antea Spiritu Salis ana-

tomizatum, & cum aliis humiditatibus, velut aquâ, vino, cerevisiâ,& similibus, in circumferentiam extensum, atque ore usurpatum fuerit, in stomacho hominis radicaliter dissolvi ac transmutari. Ab hisce enim Excrementis nunquam aurum corporale in veterem substantiam reducere potui; quod sensibus sane uberiorem contemplandi materiam subministrat. Nec oleum quis aut operam perdiderit, si probet atque examinet, quantos cum eâ re progressus facere ac sortiri possit: Philosophorum Axioma est: Ubi Natura desinit, & opus imperfectum relinquit, ibi Artem incipere debere: quibus autem modis ultra procedendum sit, silentio involvunt. Natura ab initio Ens Minerale, seu primam Materiam Metallorum tantopere sublimavit, quatenus ipsa possibilitas permisit, ad summam nempe perfectionem & regali solio collocavit; Ars perfectissimum Corpus solis per Corrosiva destruxit, & in corpore hominis reductum denuo dissolvi fecit. Si verò quis ulteriorem procedendi modum sciret; illa soluti auri essentia facilè in melius redigi, ac multiplicari posset. Sed nolim hæc pro Delphico Oraculo aut Sibyllæ Foliis haberi, quæ meæ tantum sunt cogitationes. Quilibet tamen hinc depromat, quantum sibi cognoverit expedire.

Quotidianus autem Medicamenti usus tamdiu continuandus, donec omnium malorum sentina toto corpore abscesserit, nec alia undecunque remedia intermisceri debent, ne operatio nobilissimæ

liſſimæ Medicinæ impediatur. Quamvis ante hujus applicationem ſemel aut bis Panacea mea, cujus in *parte 2 Pharmacop.* meæ *Spagyricæ* tractatio inſtituitur, adminiſtrari queat; ſiquidem tunc admiranda ejuſdem effecta perſpicientur. Primò enim nihil non eorum efficit atque operatur, quæ Spiritui Salis adſcribuntur, cum quo Oleum illud Salis, unde aurum eſt ſolutum, pares virtutes ac vires obtinet; niſi quod Oleum duplo fortius ſit quàm Spiritus; quippe illud rite præparatum, non autem hic, aurum diſſolvit. Atque id cauſſæ eſt, cur hoc Oleum auri ſeu Aurum Potabile multò utilius in omnibus illis morbis, quibus alias Spiritus Salis conducit, adhibeatur. Multò etiam melius iſtud vires ſuas diffundit, quam hic Spiritus, & quidem propter aurum in ipſo anatomizatum. Quod etiam, quia calidæ & ſiccæ proprietatis, eſt, apprime cum Oleo Salis, calidæ quoque ac humidæ naturæ ſubjecto, convenit. Hinc omni corruptioni, quæ in humano corpore originem aliquam habere poteſt, efficaciter reſiſtit: nulla febris, nulla peſtis contagio, lepra nulla, nec hepatis, lienis, aut pulmonis obſtructio radices illic agere poteſt; ſanguis per univerſam corporis Oeconomiam ab omni ſuperfluâ ſalſa humiditate purificatur; nullæ pulmonis, jecoris, aut aliarum internarum ſive exteriorum partium ulcerationes coagmentari queunt; Calculum veſicæ ac renum, uti & fluxus omnes tartareos ſeu podagricos ſolvit ac diſcutit; ſtomachum, cerebrum, cor, &

nervos confortat. Totum inſuper corpus ſingulari modo & indole calefacit ac penetrat, pravitatem humorum exſiccat, Hydropem depellit, omnes phlegmatis, ſtomacho inhærentes, venenoſas peſtilitates è corpore extrahit, ac per alvum ejicit, vapores præſertim Mercuriales, qui per curam in morbo Gallico ſiniſtrè adminiſtratam, ex fomentis corpus pervaſerunt, & aliquot ejus membra ad contracturam ſeu paralyſin redegerunt, aut redigent. Hæc autem penitus reparat, & alios itidem artus ac nervos, aliis morbis corruptos, & debilitatos, priſtinæ ſanitati reſtituit; idque per uſum tantummodò internum. Forinſecus adhibere nimis præcioſum eſt, & Spiritus Salis heîc adjungi poteſt, quo juncturæ membrorum illiniantur, ac doloris mitigentur. Interius autem hoc Aurum Potabile omnia totius corporis membra egregiè indurat, conſolidat, & vigorem ac quaſi medullam ipſis reddit, ne tam facilè ulla pituita damnum inferre, aut peſtilens contagio, exulcerationes hepatis ac pulmonis, putredo ſanguinis, Scorbutus, Hydrops, Scabies, & id genus alii morbi radicem agere poſſint, omnes quoque exteriores corporis adfectus, uti fiſtulas, & alia diutina ferme deplorata pathemata perſanat dummodo interiùs adhibitum fuerit. Extra vero hic Spiritus Salis, in quo Chalybem duntaxat ſolutum parumper adſervamus, ſat bonus eſt, cuncta oris, linguæ, & faucium ſive colli vitia, quæ fortean à Morbo Gallico exſtiterunt, & omnem Medici-

nam

nam respuunt, pristino statui reponere. Liquor Auri verò melior est, & in illis partibus, ubi nulla aliàs medicatio admitti solet, locum invenit, quibus nempe purum fundamentum parat, & præproperam ex vi ac naturâ suâ adstringente valetudinem largitur. Parum duntaxat Sacchari admisceatur, & sic à Scorbuto putrefacta gingiva fricetur, statim hanc illud Oleum persanabit, ac dentes iterum corroborabit. Sed & cunctis convulsionibus tàm internis quam exterioribus, utpote vesicæ ac umbilici rupturis absque ullâ incisione, & omnibus aliunde petitis remediis, optatissimam opem sufficit, intrinsecus saltem usurpatum & ab extra epithematis instar applicatum. Vulnera enim contrahit, ac omnes interiores corporis lentâ tabe consumentes ægritudines, tum & contusiones ac convulsiones, præ cunctis aliis medicamentis, statim persanat. In rerum quippe naturâ nihil invenitur, quod magis adstringat, & salubrius existat, quam Aurum resolutum. Et cum omnia tum externa tum interiora vulnera Adstringentibus gaudeant & ab hisce medelam expetant, nullum verò nec Vegetabile nec Minerale cum hoc Auro comparari possit, meritò id ipsum ceteris omnibus Medicamentis, sive intra vel forinsecus administrentur, palmam præripit. Post Solem Martis quoque solutio bona est & vim aliqualem adstringendi habet, sed non tantam, sicut Aurum, nec tali cum suavitate adhibetur; quia Vitriolum valde sapit, & vomitiones non-

nunquam concitat. Alia itidem Metalla adſtringunt quidem, ſed non expedit illis uti cum ipſorum Virtus adjunctis ſimul vitiis inquinetur. Luna ipſa multum in ſe Vitrioli complectitur, & guſtum præbet nimis acerbum, quæ tamen aliàs magnam pravorum humorum ſaburram corpore humano expellit; ſolutio autem ejus ad uſum præparata ſumentibus horrorem parit, majorem ſanè quàm Vitriolus communis. Solutio autem Auri, utut conſtringat, vitioſas tamen ſibi commiſtas qualitates non fovet, ſed omnia in externo atque intrinſeco uſu ſecum continet, quæ morbis tam juvenum quam ſenum ſalutaria valdè ac proficua exiſtunt. Epilepſiam enim tollit, & puerperis fracta ſive convulſa matricis ligamenta ſanat, luxata etiam loco ſuo priori confeſtim reponit. Brevibus dicam. Hoc Medicamen in morbis omnibus tuto adſumitur, vel ex calida ſive frigidâ cauſa ortum trahant; omnia ſiquidem membra ab illo confortantur, & novum quaſi vigorem recipiunt: ſic ut nullus non DEO miſeratori pro hiſce beneficiis pares gratias agere ſit obſtrictus. Præter virtutes illas, quas Spiritus Salis, & præſertim Oleum auri cum Spiritu Salis paratum, intra & extra ſuppeditat, egregium vitandæ Ebrietati præſervativum exiſtit, cum hæc ſcilicet vitiorum maximorum ac turpiſſimorum fons ſit, immò venenum, & omnis infortunii ac damni radix & janua peccatorum. Quæ idcirco, vel hiſce nominibus, univerſo mortalium generi exoſa eſſe debeat,

debeat, ut omnes à tanto malo sese abstinerent, & velut mordacissimum canem atque anguem pestilentissimum illam fugerent. Sed proh dolor! Ebrietas ubique locorum regnat, maximè in illis regionibus, quæ fertilitatem dulcis Lyæi ubertim producunt, ubi illa nec pro peccato aut ignominia, sed consuetudine habetur, cum adultiores, & vix adolescentiæ florem prætergressi, ipsa delectentur. Tolerandum fuerit, si usque ad hilaritatem biberetur; sed hoc non sufficit, abusus nimis extenditur, ut nec mensura nec modus heîc observetur. Alter alterum ad symposia irritat, & qui prægrandes scyphos evacuare queunt, pluris æstimantur quam expertissimus Philosophus. Nobile DEI donum, nempe Vinum generosum, non modò heîc malè disperit, atque in usus execrandos prodigitur, sed ipsi bibuli potissimam valetudinis suæ jacturam sibi accersunt. Homo qui ex ebriositate mortem oppetiit, vix in alium, opinor, Olympum rapietur, quam ad eos, qui avaritiæ, vel aliis de causis ex infelici trabe seipsos suspenderunt, aut feralibus undis ultro immerserunt. Homo desperatus, qui violentas sibi manus intulit, semel tantum in hoc peccandi genere delinquit, secundâ vice fortean hoc non ausurus, si vitam recipere posset. Ebriosus autem singulis diebus idem crimen committit, & ubi semel jejunus, ad nefaria pocula revertitur, nec ullum ex iis tædium aut fastidium concipit, immò non cogitat peccatum aliquod heic subesse, quin potius

tius viam cœli maximè latam conſtituit, putans ſe etiam illuc perventurum, quo tam multi pertingant, & ubi egregios compotores reperire poſſit. Nimirum ſimilis aut gemellus eſt illi ſocienno bibulo, qui, cum ſermones de Cœlis, & ſe quoque illuc receptum iri audiret, ſi ſeriam de vitâ ſuâ impia contritionem & pœnitentiam ageret, ac ſeſe meritorum Chriſti participem faceret, interrogabat, num & ſtrenua ibi ſympoſia vigerent? Cui autem ut reſponſum minime horum iſtic fieri, & omnem famem ac ſitim inibi exulare, ideoque nec ego, dicebat, eò pervenire velim: & ſic in cœlum porcorum, an potatorum, abripiebatur. Ita Diabolus commodum ſuum ab hiſce exemplis elicit, & multos perditionis filios ad ſe allicit, prout apud lamias & veneficas apparet, quæ fatentur, ſibi à Satanâ promiſſum fuiſſe, quod poſt hanc vitam illuc loci appellere debeant, quo nil niſi ventris ingluvies, compotationes, fœda libido, & omnes corporis voluptates ſummum excellentiæ gradum obtineant. Hæc Concio levitati aurium magis inſonat atque intonat, quam ſi de reſipiſcentiâ peccatorum, vitæ ſobrietate ac continentia, & aliis id genus pulchris virtutibus, ſermo habeatur. Talia enim ejuſmodi Pietatis exercitia cor non penetrant aut compungunt, malum verò, ac ſi ſapone illitum eſſet, per imos animi ſenſus irrepit atque irrumpit; & hinc tot hominum millia Diabolus, in naſſam ſuam pertrahit. Verum aliquis objiciat,

quid

quid hæc ad Glauberum, & cur Medicinam Ebrietati præſcribit, quæ tamen ægritudo non eſt, ſed egregium potius exercitium? Hic reſponſionem abs me habeat: Niſi ſcirem, illam maximum & pernicioſiſſimum corporis atque animæ morbum exiſtere, nunquam hunc calamum paginæ iſti implendæ atramento intinxiſſem. Veteres ac novæ legantur hiſtoriæ; diſertim patebit, plurima quæ unquam acciderunt malorum ex hoc fonte ac fundo Ebrietatis ſuam traxiſſe originem. Quapropter aliquot pauca duntaxat, demonſtrandæ veritatis cauſſa, in medium proferam: Si Noachus vino nimio ſeſe non invitaſſet, nuditatem corporis coram liberis ſuis non detexiſſet, & ita manifeſtum ſcandalum præbuiſſet. Lothum niſi potus ſuperaſſet, cum binis filiabus ſuis nullum inceſtum comiſiſſet. Nec David cum Bethſabe adulterium, aut Uriæ fidelis ſui miniſtri homicidium perpetraſſet, niſi ab incontinentia victus fuiſſet. Si Johannes Baptiſta in Eremo manſiſſet, mel Sylveſtre & locuſtas comediſſet, ac ſitim aquâ reſtinxiſſet, nec ab aulæ deliciis fuiſſet ſeductus caput ſuum ſervaſſet. Samſon & Holofernes niſi ad ebrietatem uſque potu ſe ingurgitaſſent, à mulieribus non decepti eſſent ſed vitam retinuiſſent Quorum exemplorum multas myriadas ex hiſtoriis adducere poſſem, & ita comprobare, quod Ebrietas ſcaturigo malorum omnium exiſtat. Sed illud minimè neceſſarium eſt, cum res per ſe pateat, & omnium oculis clarè ſit expoſita, quo-

quotidiana insuper Experientia idipsum edoceat. Quilibet Conscientiam suam examini subjiciat, ac omnia vitæ acta, commissa & omissa secum reputet, in promtu erit, quicquid ab ipso unquam peccatum ex Ebrietatis vitio primam originem traxisse, sunt qui animo suo propositum habent, se inter edulia non plus bibituros, quàm stomachi conditio ferre possit; ubi autem in bono contubernio liberior gula unum atque alterum sapidiorem bolum assumpsit, tunc potionem quoque appetit, & utrumque horum ita sensim irrepit, antequam sentiatur, quando autem interiora jam occupavit, tunc operatur, & malas actiones perpetrandi ansam atque occasionem quibusdam suppeditat. Ubi quiescentes Spiritus per Spiritum vini excitantur & corroborantur, tunc signa quasi pathognomica de se præbent, &, cujus naturæ atque indolis sint, manifeste demonstrant. Spiritus potatorii grandes cyathos arripiunt, ac in aliorum, ut vulgo loqui amant, sanitatem, unum ex altero evacuant, & ex hominibus ratione præditis porcos irrationales efficiunt. Spiritus contentionis continere se non potest, & omnia eructat, quæ litigiis ac dissidiis, immò & verberibus caussam subministrant. Spiritus scortationum ac meretricius Patroni sui tutelaris, h. e. corporis, oculos, manus, pedes, invadit atque irrumpit, & tamdiu circumagit, donec voluntatem suam effectui dederint. Oculis, annuendo, animi sensa & desiderium ad alios sibi simi-

les

les transmittunt; pedibus sub mensa pedes premendo titillant, manibus adtrectant quod tangi nefas & vetitum; quæ forte facinora utriusque sexus homines nunquam perpetrarent, nisi potus ipsos incitasset. Hinc oriuntur meritriciæ conjunctiones, adulteria, homicidium, desperatio. Quot infantes, à levissimis illis lupis ac prostibulis clam enecantur, dum nesciunt, quorsum hosce partus abdere debeant? Scortationes dein surta subsequuntur. Si fortean uxor alieni thori cupidine ducitur, viro suo hoc & illud adimit, ac fœtidis de porcorum grege cuculis largitur, veros liberos peculio & interdum alimentis defraudans. Maritus autem ubi legitimos conjugii fines transilire solet, bona sua in turpissimas meretrices prodigit, quorum tamen usu quotidiano Caja sua & soboles opus haberent. Cum servi & ancillæ exercitio hujus nefandæ libidinis delectantur, herum ac heram heîc luere, ac domesticæ supellectilis aliquam jacturam pati oportet. Si liberos hoc insanabile malum tenet, parentibus suffurantur quicquid possunt, & ubi nihil amplius quod exportent domi suppetit, ædes alienas pervestigant, & ita genium ac naturam laverniorum induunt. Hæc verò omnia non nisi ex Ebrietate proficiscuntur, ac suam originem deducunt, cum nempe sensus ac ratio obfuscantur, &, quando semel heic peccatum, ac aliqua spes impunitatis relicta, ad majores conatus tam diu multumque proceditur, donec quotidiana consuetudo inolescat, & res tandem exitum

exitum non adeò proſperum ſortiatur. Nemo Ebrietatem ita turpem eſſe animadvertit, quàm qui ſe hoſtem ejus profitetur; amatores verò ſympoſiorum hoc pervidere nequeunt. Nimirum ſi plena eſt menſa convivantium, & hi maximam partem nimio potu ita ſeſe ingurgitarunt, ut ferme ad inſaniam redacti ſint, tunc certatim debacchantur, ac verbis perſtrepunt, quæ ne ipſi quidem exaudire ac intelligere queant; cantilenas, ſaltus, tripudia permiſcent, inſolitos clamores edunt, crapulam eructant, & iterum ingerunt, mutua denique oſcula parti anteriori ac poſticæ adfigunt. Ita putant ſe omnia uti par eſt peragere, nec agnoſcunt, quantas turpitudines minimè ſibi convenientes committant; qui error ſaltem exinde promanat, quoniam ebrii ſunt, & hinc naturali intellectu privati: Sobrius autem dum hæc intuetur, ipſorum vanitates facillimè perſpicit. Sic etiam illi homines, qui non cernunt, Ebrietatem omnis mali fomitem eſſe, tam ebriis oculis vident, ſicut ipſiſſimi potatores, in quibus nec ſenſus, nec ratio, aut intellectus reſidet. Multi multa interdum ex Ebrietate perpetrant, quorum per totam vitam pœnitudo ipſis obverſatur, & quæ ſobrii nunquam ſine dubio feciſſent. Quilibet modò in ſe deſcendat, & conſcientiam ſuam probè perveſtiget, rem ita eſſe experietur. Cur igitur Ebrietatem odio Vatiniano non perſequamur, cur non cane pejus & angue, quantum fieri poteſt, fugiamus? Sat ſcio, ſi aliqui hæc in aures ac ani-

animum demitterent, à belluino potandi ritu ſeſe abdicarent; & quam benè res tunc ſtaret Orbis Chriſtiani! Turcæ nunquam ad illum magnitudinis ac potentiæ ſuæ apicem perveniſſent, ſi Vinum ipſis conceſſum, nec leges patriæ uſum ejus interdixiſſent. Perpendat quis mecum Oeconomiam ſive familiam, ubi maritus aut uxor ſuperfluas potationes in amore ac deliciis habent; perditionem illius ac interitum ſtatim animadvertet, eoque citius, cum ambo unius & ejuſdem animi ſunt, & mutua pocula ſæpius exhauriunt. Si adoleſcens facilè ad Ebrietatem declinat, in boni commatis hominem non evadet. Huic enim vitio confeſtim alia peccata ſe adjungunt, uti Luſus, Mendacium, Scortatio, Furtum. Puella cùm potui addicta, certò in meretricem degenerat, Anus bibula lenocinium exercet & Conciliatriculam agit; Miles ebrius rixatur & percutit; Monachus talis cantitat; Stultus riſum multum concitat. Verbo efferam: Vinum ex interiori pectoris ſcrinio depromit, quæ ibi abſcondita latent, ſic ut ſapiens non perperam admoneat, ne à vino ſeducamur, quod tàm pulchrum in vitro emineat: item cor ebrii ac ſtulti in ore, os autem ſobrii ac ſapientis in corde poſitum eſſe. Chriſtus non fruſtrà vigilantiam & abſtinentiam nobis præcepit, idque hoſtis cauſſa, qui in Ebrietate oportunitatem reperit damna & pericula inferendi. Me quod attinet; ego Ebrietatem morbum, qui vel reperiri queat, maximum æſtimo, unde corpus & anima pariter in exitium

præcipitantur. Summatim eloquor: Hæc coram DEO & bene moratis hominibus malum tàm abominandum exiſtit, cui nihil par, nihil ſecundum; cur igitur adverſus ipſam Remedio non utamur? Strictim tantummodò illam heîc perſecutus ſum; ſiquidem Ilias malorum omnium inde naſcentium nec in grandi bovis tergo perſcribi poſſet. Quapropter nemo non illam reformidet ac fugiat, prout etiam ſpero, nullum è bonis viris ſiniſtrè interpretaturum, quod huic tàm horrendo vitio Medicinam opponendam publicitus expoſuerim. Pauci fortean grato & memori animo percipient; qui autem hoc faciunt, ſolatium ac levamen haud minimum capient, nec ipſos pœnitebit, quod à peſte tam execranda ſeſe abſtinuerint.

Ne autem benevolum Lectorem hoc Medicamine diutius demorer; palàm pronuncio, Spiritum Salis eſſe. Nam ſi fortia vina vel etiam cereviſiæ veteres bibuntur; nihil ſtomacho ſubeſt, quod ſubtilem Spiritum coarctare queat, & hinc calor ſtatim ſurſum in caput eundem diſtillat, ubi & intellectum, viſum, auditum adimit, omnes quinque ſenſus diſpoliat, & ex homine ſano ægrum cônſtituit. Si autem vino aſſumendo aliquid de Spiritu Salis immiſceatur, tunc orificium ventriculi aperit, nec Spiritus nimis adſcendere patitur, ſed remoratur ipſos ac ligat, & aliquam partem robore nativo exſuit, ne ſuperiora petant, ſitim quoque mitigat, & vinum, quo hæc reſtinguitur, naturæ contrarium efficit. Nam ubi quis

appe-

appetitu bibendi tenetur, sæpius ac plus bibit, quam si illo destituatur: & quo frequentiorem ac copiosiorem potum tunc adhibet, eò citius ebrietatem contrahit. Nec vinum istud Spiritu Salis permistum hepati tam facilè nocet: cum quantum Spiritus vini jecur calefacit, tantum Spiritus Salis corrigere ac refrigerare queat. Adde quod Spiritus Salis Bacchum in ventriculo diu delitescere non permittat, sed statim per urinam ejiciat: & quo velocius vinum superfluum corpore exterminatur, eò fælicius, ac minorem inferre perniciem poterit. Modo autem prædicto Spiritus hic præparari debet ac rectificari, cùm aliàs, nisi rite ac subtiliter confectus, talia efficere non sustineat. Ubi vinum palato satisfacit, vix bibitio intermittitur, quamdiu sitis urget; hæc autem cum restincta, nec illud amplius desideratur, salvo proinde intellectu, ut quis munia sua obire, & spartam quam nactus est ornare valeat. Pauci attendunt, quantopere potus virum à gradu suo, ut sic dicam, dejicere possit. Nam tantum vini ratio heîc habenda est, quod inutiliter prodigitur & ex cujus necessario usu multos dies Oeconomia potuisset administrari, sed nobilissimus temporis thesaurus malè impenditur & consumitur. Multi quoque bibones per aleam, & chartas lusorias, unâ vice tantum perdunt, quod familiæ alendæ diu suffecisset, ac proprium corpus morbis exponunt, ut postero die officium suum facere nequeat. Animam insuper periculo subjicit,

& juventuti ſcandalum proponit, ac malo exemplo viam ad flagitia monſtrat, unde graviter judicabitur, apud alios quoque infamiam & ignominiam ſibi accerſit.

In ſummâ, nihil boni ab Ebrietate provenit, & idcircò operæ pretium fore exiſtimo, ſi Medicinam hanc ſaluberrimam non modò illis qui vinum, ſed & fortes cereviſias bibunt, impenſe commendem.

Hæc enim utrumque non diu ſtomacho inſiſtere patitur, ſed ſtatim per urinam rejecit, ſic ut renibus & veſicæ difficulter Tartarus adhæreſcere poſſit; cereviſiæ quoque tam ſapidæ & ſuaves hinc redduntur, ut perinde, ac bonum vinum, palato gratæ accidant, quæ corpus etiam non onerant, ſicut alias ſine Spiritu Salis facere ſolent, ſed à flatibus præſervabunt, eoſque diſcutient, qui aliàs ex cereviſiâ naſcuntur, immò cruditates cunctas ab eadem ortas propellere, & corpus ab iis tutari poterunt.

Per uſum Olei Auri cor leoninum, ac ſublimis animus, ſicut etiam robuſta & vivida caro generatur; quippe omnes hominis partes hinc dureſcunt, & ſanitatem recipiunt, proinde nec pulvinus cui inſideas, curatur, nec tam facilè punctura aliqua ſive caſus ſentitur, cum è contra ſuperfluus humor emolliat ac ſenſibilitatem inducat. Phlegmaticus, graviter attrectatus, dolores concipit, idque ob pituitam, quæ in carne prædominatur; hæc autem ſi abducta fuerit, omnia protinus

tinus membra firmabuntur, & novum vigorem adipiſcentur. Quod manifeſtis indiciis liquet, cum abs reſiduo ſalſo phlegmate ſcorbutus ori innaſcitur, & hinc dentes titubant, gingiva cruorem emittit, & lingua ac interiora labia puſtulis & foraminibus implentur, ſi autem viciſſim una vel duæ guttæ Liquoris auri digito ad partes affectas illiniuntur; quod gingiva ſtatim indureſcat, atque extuberantiæ in linguâ & labris perſanentur. Quæ effectio ex magnâ adſtringente ac purificante virtute auri & Spiritus Salis provenit. Si ſæpius uſurpetur, per humiditatis ſuperfluæ evacuationem, ex phlegmatico ſanguineum, effecit, atque aquoſum & craſſum cerebrum purificat, ut ſanus & melior intellectus ſubſequatur. Nam ſi hoc plenitudine denſæ ac frigidæ pituitæ prægravetur, bonam intelligentiam reddere nequit, prout apud omnes phlegmaticos videre licet, qui ex inſulſitate nuſpiam non obeſa & obtuſa capita ſua allidunt, nec ingenii ſalubritate unquam pollent, quin potius continuo dormitandi atque otiandi appetitu fervent ac feruntur. Cùm igitur dormiens pro ſemimortuo, & phlegmaticus pro indormiente habeatur; ideoque & hic vix ſemivivus æſtimari poteſt, ſiquidem vel duriuſculè attactus dolorem eſſe conqueritur. Boni autem ſucci ſanguineus membris quaſi leoninis gaudet ac firmatur, ut ſic omnino hæc Medicina laudem promereat, quæ ex ſemimortuo phlegmatico vivum ſanguineum efficit. Hoc itidem auri Oleum

triſtes Melancholicos exhilarat, cum nempe obſtructa corporis viſcera per hoc aperiuntur, & ſanguis purificatur. Cholericis quoque nimium calidis moderamen ſuppetit, dum aduſtus & nigricans cruor per uſum hujus Olei continuum educitur & aliquam partem temperatur. Hinc illi ad manſuetudinem rediguntur, ne tàm facilè rixas ac mutuas pugnas ſuſcitent. Certum enim eſt, cor & cerebrum præ omnibus aliis medicamentis hoc Oleo efficaciter purificari ac corroborari. Cerebrum autem purum bonas cogitationes ſuppeditat, ſine quo aliàs omnia inſaniam quaſi ac mortem ipſam ſpirant, & multi ex ejus imbecillitate ac corruptione quippiam perpetrant, quod ſano intellectu non facerent; ſic ut res magni momenti ſit, cor & cerebrum firmari ac veram intelligentiam reparari. Per quam cum omnia gubernari oporteat, & permagni referat, idoneum eſſe regimen; omnes illos queîs DEUS faſces commiſit, ſummo ſtudio niti decet, ut bonam imperandi rationem ſuſcipiant, nec quicquam, ex ineptitudine aut hebetudine judicii, in ullius gratiam aut odium, vel per exceſſum vel defectum juſtitiæ decernant. Queînam Prætor rectam ſententiam ferat, cum intelligentia ipſius per nimiam crapulam ſemper obfuſcatur, & quaſi nebulis oppletur? Cogitationes ſuas ex obſtructo & mucoribus obſeſſo cerebro nunquam, uti par eſt, recolligere poterit; cùm tamen omnes rectores ſanum cor & cerebrum habere conveniat. Quàm

ſæpè

ſæpè multumque ab ebrioſo & catharroſo capite malum ac perniciosum decretum edicitur, quod cor & cerebrum ſanum non promulgaret? Cùm hominis ſynciput abundantiâ pituitæ laborat, queînam dexteriori intellectu fruetur? Singulis temporibus ebrioſque faciem ac mores repræſentat, etiamſi nullum vinum aut cereviſiam biberit; idque eâ de cauſſa, quoniam caput multis pravis humoribus ſemper oneratum geſtat. Sanguineo, licet plurimum vini deguſtarit, hujus ſaltem Spiritus, ex ſtomacho ſurſum aſcendens, & cerebrum occupans, caput prægravat; ubi verò gratum ſomnum capit, ſubtiles vini Spiritus ex capite regrediuntur, & cerebrum priſtinam à copiâ phlegmatis immunitatem, ac bonitatem conſequitur. Phlegmaticis autem cerebrum ſemper plenum eſt, nec tamen à Spiritu vini, qui per ſe ultro recedit, ſed à viſcoſis denſioribus catharris, qui continuò remanent, & caput onerant. Quapropter hoc Oleum auri dignum omninò eſt, ut Virtutes ejus approbæ deſcribantur, & ita multis ex hoc Remedio ſalutare Conſilium atque auxilium ſuppeditetur. Perinde enim bonum eſt, immò melius, quando craſſum caput phlegmaticum purgatur, ac ſi ☿ in ☉m converteretur. Cùm Melancholico turbidus, ater & corruptus ſanguis purificatur, utilius eſt, quam ſi niger Saturnus in ſolem tranſmutetur. Nec minoris æſtimandum ubi cholerico aduſtus cruor refrigeratur, quam ſi ex crudo ferro aurum artifex produceret.

Et hæc profectò bona valde Metamorphosis est, quæ omnes complexiones ad meliorem statum disponit, ac puriores efficit. Homo nonnunquam ipse ignorat, se ægrum esse cùm ex cibo ac potu satietatem an voluptatem, percipiat, & roseas genas, ac obesum ventrem, præ se ferat; sed si res ad solem veritatis & rectæ rationis exponitur; pulchritudo ejus pulvis duntaxat est, ipse verò gulæ & cuticulæ suæ minister, ut hanc probè tractet ac foveat; & sic ipsius anima & Spiritus, ductu corporis, mancipium redditur, cum tamen corpus Spiritui, & non Spiritus corpori servire debeat. Omnis autem hic error & abusus ex nimio cibi ac potûs abusu promanat, unde corpus, cerebrum, & intellectus ad tantam crassitiem prolabitur, sic ut phlegmaticus non sine caussa inscius bibo appellari queat. Cum igitur perniciosum phlegma, ex quo capita in tam magnam somnolentiam, ignaviam & desidiam ruunt, à superfluâ corporis ingluvie potissimam originem trahat; meritò cuivis ab hac præcavendum fuerit, ac vitæ sobrietas amplectenda, & si fortean corpus istiusmodi pravis humoribus jam refertum, nemo tunc desperet, sed prædictam Medicinam illis opponat, ut ante omnia caput in bono habitu sui intellectus conservari, & ad pristinam reduci sanitatem queat. Quidnam mali hæc ebriosa capita, præsertim apud Magnates, terrarum & hominum rectores, nonnunquam efficiant; satis constat, nec ulla probatione indiget: de quibus multæ etiam

etiam historiæ in testimonium adduci possent, quarum saltem unam & alteram heîc enarrabo. Regem fuisse fertur, qui ob familiarem sibi crapulam de regno parum sollicitus, cum consiliarii latam ab ipsis sententiam illi subscribendam afferrent, hanc ne quidem relegebat, sed, tenore hujus nondum inspecto, nominis sui appositione semper confirmare solebat, quod cum ex eo multum mali redundaret, Conjunx ipsius animadvertens, Regem insigni discretione commissi turpiter erroris coarguebat, & hoc quidem modo instruit ac subornat Consiliarios, ut Regi Edictum proponerent subscribendum cujus vigore adulteram ultimo supplicio affici oporteat. Exsequuntur illi jussa,& Rex decretum manu suâ muniebat,tanti autem hoc non faciebat, ut, quænam esset mulier,videret. Sententiam taliter approbatam Consiliarii Reginæ exhibent, quam ipsa custodiebat ad futurum usque diem, quo Rex erat sobrius. Tunc ostendit ipsi male promulgatam ac subscriptam sententiam, unde non leviter perterrebatur, quod uxorem suam charissimam, & probam, innocenter morti ebrius adjudicasset, & rem postea cautius ac prudentius agebat.

Literis quoque ac memoriæ proditum legitur,quod sapiens quædam femina aliàs innoxia, ad necem condemnata fuerit, quæ tamen hoc judicio non contenta ad remedium appellationis perfugit. Cum autem nullum huic locum esse alii dicerent, eò quod ipse Rex sententiam tulisset,

animosè illa reſpondebat: A Rege igitur ebrio ad ſobrium appello. Quid fit? Pronunciatum in poſteram diem rejicitur, mulier pro innocente declaratur ac penitus abſolvitur. Ex hiſce geminis hiſtoriis, quarum vel aliquot myriades in medium adferri poſſent, clarè perſpicitur, quidnam mali ebrioſa capitella perpetrent. Duo illa, cùm ab intelligentibus feminis ſcelerum ſuorum convincerentur ad meliorem frugem libenter redibant: aliqui verò, ejuſdem farinæ nolunt ut convertantur, ſed ex bonis monitis obſtinatiores evadunt, prout ſequens exemplum comprobat. Rex quidam nimias à potu delicias capiens à Conſiliario ſuo ſeniore rogabatur, ut ab ebrietate deſiſteret. Quæ vox tantopere bilem Regi commovit, ut filiolum Conſiliarii adducendum eſſe juberet, in ipſo demonſtraturus, ſe ab ebrietate nullatenus impediri. Puerum igitur ad arborem alligari præcipit, & ipſe arcum ac ſagittas poſcit, Conſiliario hæc verba interminans: Si cor tuæ ſololis trajiciam, nullius ebrietatis me arguere poteris; ſi non collineabo, bene factum, quod me ab eâ dehortatus fueris: quo dicto jaculum emiſit, & pectus pueri transfixit. Magna certè Regis temeritas & obſtinatio, quem nullæ doctrinæ vel admonitiones in regiam virtutis viam allicere potuerunt, quin potius pejor ex illis evaſit, nec ſcitum iſtud conſideravit: Errare humanum eſt, ſed in erroribus perſeverare Diabolicum. Peccatum à DEO non punitur, ſi ab eo nos abſtineamus, & vitam moreſque

resque emendemus: sed hodiè, proh dolor, homines, more vulpium, pilos mutant, non animum, & diebus singulis in pejus feruntur! Charta me citius quam scriptura deficeret, si literis consignem, quicquid Spiritus Salis, seu Spiritus Salis coägulatus in potu boni efficere queat. Sat in præsens feci, tempus & occasio plura proferre jam non patitur. *In Opere meo Vegetabili* gratiosus Lector uberiorem hujus Materiæ descriptionem reperiet, in qua nunc acquiesco. Bonâ spe inducor, ut credam, neminem fore, qui vitio mihi vertet, quod Ebrietatem magnum esse morbum statuam, & Medicinam illi ordinariam præscribere ausim: quicquid heîc feci, eò benevolus animi adfectus me impulit. Descendat quilibet in seipsum, & vitam ac mores suos accuratè perquirat, me hoc tenui dogmate atque admonitione utilissimum opus egisse comperiet. Fiat tantummodo per quartam anni partem heîc periculum, statim apparebit, quantum Spiritus Salis ebriosos, qui, scito Paulino, regnum DEI non intrabunt, permutabit. Mariti etiam potis uxoribus, ac probæ conjuges viris multibibis huncce Spiritum, vino aut cerevisiæ commistum, propinare deberent, ut siccum epar refrigeretur, ac symposia intermittantur: ita nullum plane peccatum heîc committerent, sed multis malis prævenirent. Nam Ebrietas profectò periculosus ac malus morbus est, & tamen præ eo non habetur. Hem quanta cæcitas, apertis oculis non videre! Multi quidem cernunt,

ma-

malint etiam ſe nunquam ebrios fieri; ſed à potu ceſſare nequeunt, cum vitrum vitro viam ſtruat, &, quia vinum tam bene ſapit, ad bibitiones alliciat. Spiritus autem Salis adjunctus calidum hepar refrigeraret, & à tanto bibendi appetitu detineret, immò, quamvis homo potum repudiare nullatenus poſſit, forte vinum ipſi tantopere haud nocebit, ſi Spiritu illo temperatum ſtatim ex corpore pelleretur. Confido, me toti Mundo præſertim illis regionibus, ubi vinorum abundantia, & hinc grandis etiam abuſus, magnum officium, an beneficium præſtitiſſe, nec prorſus abfore, quin heîc & illic aliqui per hoc Medicamen curentur, & ad priſtinam ſanitatem perducantur.

Finio hanc Diſſertationem, nec vanâ ſpe mihi polliceor, gratam fore bonis mentibus, quæ ſtudium & operam meam non contemnent, cum ex amore proximi fecerim, quicquid feci. Nullus etiam dubito, quin multi hæc ad uſum ſuum applicaturi, & ea propter DEO grates ſint acturi. Quamvis & ominer, Zoïlos ex inſcitiâ & invidia laborem huncce meum deſpecturos. Sed quia vetus verbum non fallit, aſt exploratæ veritatis eſt, quod Ars non habeat oſorem niſi ignorantem; hi Momi ſuo ſeipſos gladio jugulant, ac propriam turpitudinem allegant: quod mirum haut eſt, cum perverſo hodie mundo ſolemne ſit, non niſi talia facere. Conſulamus ſaltem hiſtoriam, quomodo Chriſtophorus Columbus, cum de novo quopiam orbe dixiſſet, in tam multis Regum Curiis

per

per imperitos carptores riſui ac ludibrio expoſitus fuerit. Hæc aula impoſtorem, alia mendacem ac magniloquum, ignorantem fatuum, alia ipſum exiſtimavit, nemo fidem ipſi adjungere voluit, donec tandem in Hiſpaniis auditus eſt, & propoſitum ſuum comprobavit. Quis è ſtultis ſapientes faciet? Improbo Mundo mos ſuus relinquendus, cum hunc emendare non eſt noſtræ poteſtatis. Quæcunque heic ſcripſi tam de Medicamine contra omnes morbos nauticos, quam concentratione frumenti & aquæ adverſus famem ac ſitim, tum etiam efficaciſſimo Spiritus Salis uſu contra ebrietatem, ac vini, cereviſiæ, aquæ, & aliarum potionum melioratione; puro veritatis fundamento nititur, & ipſa rerum experientia teſtimonio ſuo ſatis manifeſtabit, in quo nunc ſermoni meo terminum imponam. Ita quod mearum erat partium peregi jam libero cujuſque arbitrio relinquam, num hæc in uſus ſuos convertere velit. Si accepta fore intellexero, in gratiam & utilitatem per mare navigantium, pluria adhuc, DEO dante, typis publicis committam. Interim benevolus Lector præſentia æqui bonique faciat, & ad DEI honorem ac ſervitium proximi ritè accommodet atque adhibeat, ut vel multæ hominum myriades ſanitatem ac proſperitatem hinc accipere poſſint: id quod animitus optarim. Amen.

Mo-

Monitio ad Lectorem.

OBſervandum heîc fuerit, quod in iſto Tractatu aliquarum Præcipitationum ad Aquam Salis, ut hæc potabilis fiat, mentionem fecerim, Modum verò meum meliorem mihi ſoli reſervarim, nec divulgare voluerim. Sed & illud ibi dicere memini, proceſſum hunc ſecretiorem aliquatenus fore precioſum, ac proinde Artem hanc non ita gratam, quam ſi parvo ſumtu fieret, (quod & ipſe fateor) quibuſdam poſſe videri.

Nam licet in extremâ neceſſitate nihil tam charum, aut tàm magni pretii, quin, propter vitam conſervandam ultro redimatur, aut dimittatur; melius tamen eſt in tali caſu ſi nec aqua gravi nimis impendio comparetur. Quamobrem hanc prætereà Admonitionem injicere, ac dubitantibus manifeſtam eſſe oportuit, quanti una libra aquæ ſalſæ, jam edulcorata, & ad potum præparata, conſtet; quibus ego reſponderim, non pluris quam teruncio & præterpropter, amplius ſive minus, prout graviores aut faciliores expenſæ ad præcipitationem impetrandam erogantur. Suum igitur quiſque computum ex hoc inſtituere poterit, num talis Edulcoratio ſibi conducat an non? & ſi deſiderio ejus habendæ tenetur, abs me ſingulis temporibus illam adipiſcetur. Quamvis enim omne operculum non cuivis ollæ conveniat, propterea tamen non abjicitur, ſed ſemper utilitatem ſuam reperit. Et licet hæc quoque Inventio mea præſtantiſſima,

tiſſima, ſalſis undis dulcedinem conciliandi apud neminem (quod minime præſumo) accepta eſſe debeat; officio tamen meo perfunctus ſum, & anſam atque occaſionem dedi, quomodo non per mare ſolum ſed & terras, multis in locis, beneficio Artis hujus egregiæ, multum commodum atque emolumentum fieri queat. Primò enim hæc Inventio illorum uſui ſervit, qui loca maritima incolunt, ut in defectu Salis, cum propugnacula obſidentur, vel alio neceſſitatis caſu, facilius illam obtinere poſſint, quam per decoctiones in ahenis cupreis, unde ſal amarum fit atque inſipidum, caro etiam, butyrum, piſces, & alia ipſo condita corrumpuntur, & in acerbum ac deteriorem guſtum rediguntur, atque ita valetudini perniciem adferunt.

Secundò hæc Ars apud illos valde proficua, qui ſedem rerum ac fortunarum ſuarum ab Oceano longius diſſitam tenent, quo ſal Hiſpanicum marinum, vel Bavarica, Tyrolenſia, Salisburgenſia, Bechteſgadenſia, Bohemica & Polonica montana ſive gemmæ ſalia difficulter curribus tàm procul avehuntur, ac ubi incolas hoc tantum ſale uti frui oportet, quod ex ſalium fodinis decoquunt, qui & nonnunquam ita pauperes, ut vix ligna ad coquendum (quæ tamen illic locorum plerumque abundant) hoc labore perſolvi poſſint. Hæc inſuper caldaria ferrea mox comburuntur, cùm debilis aqua ſalſa diutius inibi coquitur; unde magni ſumtus ad illa ſæpius reſarciendum ac renovandum exiguntur.

Per hanc verò Inventionem meam major aquæ dul-

dulcis pars ſeparari, dein ſal cum parva aquæ ſalſæ copiâ in ahenis coagulari ac indurari poſſet. Multis certè ſumtibus parceretur ad lignum convehendum, etiamſi hoc gratis haberi queat. Nec tam magno hominum numero ad labores opus eſſet, non tot ligna cædenda, tot equi ac boves ſuſtentandi, non lignum ad ahenos apportandum, nec denique ferreis caldariis, quia parum in iis coquitur, & ſic difficilius franguntur, tot ſumtus impendendi. Si igitur alicujus intereſt, hic ſciet, quid ſibi faciundum: ego lucem meam accendi, ut ſplenderet ac radiaret coram omnibus; ſi cæſi oculos aperire, & circumſpicere nolunt, in cæcitate remaneant. Bonum quoque heîc monſtravi Remedium: ſi minus acceptatur, culpa mea non eſt, ſed eorum, qui clariſſimum ſolis jubar oculis ſuis pati aut perferre nequeunt. Lumen res eſt præſtantiſſima, ſeipſum verò conſumit, minuitur; ac tandem penitùs exſtinguitur, niſi foveatur. Quamdiu ardet ac fulget, jucundum quidem eſt cuivis adſpicienti, ſed nemo vult oleum affundere, ut longius vigere ac lucere valeat. Ubi autem diſparuit, nec amplius videndi facultas conceditur, tunc expanſis oculis jacturam ejus fruſtrà intuemur. Longè igitur faciliùs pauci olei auctario vetus lucerna in diuturnioribus radiis conſervari potuiſſet, quàm ut poſtea novam quærere atque incendere oporteat. Lychnus non fruſtra queritur: Aliis inſerviendo conſumor. Sat pro ſapientibus, qui prolixâ concione non indigent. Et heîc Plato nunc jubet quieſcere.

FINIS.



